


MUSEUM HELVETICUM

Ad juvandas Literas in publicos
Usus apertum.

Particula VI.



TURICI

Litteris Conradi Orellii et Soc.

MDCCXXXXVII.

Isthæc MUSEI Particula
repræsentantur

- I. J. JAC. ZIMMERMANNIE Examén Argumen-
torum, quibus suam de Fato Stoicorum sen-
tentiam olim impugnaverat Cl. BUDDEUS
Theologus Jen. Clariss. ö vuv ēv 178016. pag. 175.
e MSC.
- II. Nomothesia Ecclesiæ Christianæ ex certis
principiis deducta & modeſte vindicata, aucto-
re Grat. Salomone Myrteo-Montano. p. 215. e
MSC.
- III. Ratio interpretandi Inscriptionem antiquam
Turici forte repartam ad mentem V. Cl. J. G.
HAGENBUCHII, Ling. Lat. & Græc. Prof. c. f.
p. 249. e MSC.
- IV. DAVID de AUGUSTA Ordinis FF. Mino-
rum Monachus ex tenebris Seculi XIII erutus
a JACOBO BRUCKERO. p. 265. e MSC.
- V. Particularitez concernant la Vie & la Mort
de Mr. J. FREDERIC OSTERVALD, Pasteur
de l'Eglise de Neuchâtel, Membre de la Société
Royale de Londres pour la Propagation de la Foy. &c.
p. 280.
- VI. Nova literaria. p. 321.



J. JACOBI ZIMMERMANNI
Examen Argumentorum,
quibus suam de FATO Stoicorum sen-
tentiam olim impugnaverat

CL. BUDDEUS *Theologus Jenensis Clarissimus,*
O νῦν ἐν Ἀγίοις.

Plures effluxere anni ex quo conscripseraim Dissertationem de Fato Stoicorum, quæ in Museo Bremensi primum occupat locum. In ea probare aggressus sum, Stoicos a Cl. J. THOMASIO, & Cl. BUDDEO, qui vestigia Thomassi pressit, gravissimi erroris Spinozismi, uti hodie appellatur, sine sufficientibus rationibus fuisse postulatos. Non male hæc mea Dissertatione a quibusdam Eruditis fuit excepta. Displicuerat ea vero, ut sunt diversa hominum judicia, Cl. BUDDEO tum temporis Theologo Jenensi præstantissimo. Eum in finem in additamentis *Isagogæ in universam Theologiam* adjectis eam impugnandam esse existimavit. Ego vero quamprimum hanc refutationem conspexeram, debiliorē eam esse

existimavi, quam ut a sententia mea dimoveri paterer: miratus quin etiam sum Cl. Buddeum ad Thomasi rationes semper provocare, ejusdemque argumenta repetere, simul vero alto silentio involvere responsa Cl. Thomasio data, quod legenti Dissertationem meam pulchre constabit. Cum vero tum temporis amore Historiae Philosophicæ essem captus, examini subjeci Cl. Theologi refutationem, eamque Disquisitionibus meis de Viris Eruditis Atheismi suspectis adjungendam putavi, prout id ex Conspectu Operis mei in *Helvet. Bibliothe-
ca, & Temp. Helvetic.* repræsentati constat. Quoniam vero ita providente Optimo Numine ante decem annos docendæ Theologiæ admotus eram hæc Studiorum genera abjeci, aliis quippe intentus jam curis & laboribus. Cum vero nuper in manus venisset Cl. & Amicissimi ALBRECHTI Lycæi Francofurtani Rectoris dignissimi de *Promo-
ea Epicurea Dissertatio*, invitatus quasi ab eo fui, ad ea, quæ contra Cl. Theologum scriptis consignaveram, edenda & Museo huic nostro inserenda. Antequam vero ipsa Cl. BUDDEI argumenta expendam, generalia quædam huic disquisitioni præmittenda esse puto.

Imum est: Ipsi Clarissimi Virti, qui Theologiam Stoicam impugnant, fatentur, Stoicos non semper in hoc Argumento sibimet ipsis constare, sed diversis uti sententiis, quæ mox in hunc, mox in alterum sensum rapi possint. Quomodo vero his concessis probari possit, Stoicos certum aliquod & sibi per omnia constans Systema de Deo, mundo & homine statuminasse, fateor me nescire. Dabimus quædam Viatorum doctorum ut thesin
hanc

hanc probemus, testimonia: *Celeberrimus & Amicissimus BRUCKERUS*, Vir si quisquam alias Historiae philosophicæ peritissimus, in *Historia Critica Philosophiae*, opere ætatem laturo Tom. I pag. 910 ita loquitur: *Non ab re erit observasse Stoicos præstantiores plerosque non semper consensisse, sed in diversa abeuntes Zenonis Systema sæpiuscule reliquisse.* Id quod non Epictetus tantum, Seneca & his similes fecere, sed a Chrysippo quoque, Diogene, Panetio & Posidonio factum est. Ipse o Maxagirus Cl. Buddeus Exercitat. de Spinozismo ante Spinosam p. 322. Fuit, inquit, hos commune Veterum Vitium systemata male coherentia sibi formare: paucissimique solliciti de eo fuerunt, quo pacto sententias, quas defendebant, inter se connectere, & in justum redigere ordinem possent. Clarissimus & doctissimus Albrechtus Dissertatione supra laudata p. 17. ita sapienter judicat: *Primo æquum postulare videntur Viri sapientissimi, cum sciscunt, non ex glorio-
fis hujus vel illius Stoici verbis disciplinam hujus generis æstimari debere. Nonne autem eodem jure postulari posse videtur, non ex durioribus hujus vel illius Stoici verbis disciplinam hujus generis æstimari debere? Antiquissimorum ex porticu Sapientum pleraque intercidisse, notum est; cæteros autem mirifice discordare, nec quod huic placet, ab altero probari, fateantur ipsi stoicæ Philosophiae enarratores: quin non ipsi solum inter se dissentunt, sed eosdem a se ipsis dissentire, nec in omnibus constare, vel ex uno facillime discas Seneca, in quo, ut Dn. L. Moshenius observat, tot legas inter se pugnantia, & doctrinæ quam profitebatur, initii contraria, ut nullius par sit ingenium omnibus ejus inter se sententiis conjungendis aut conciliandis. Quis autem hinc non intelligit, difficile esse ex tot Scriptoribus tantopere inter se discrepantibus sistema discipline stoicæ neclere, quod*

omnis porticus ut suum deosculetur. Forsan ipsi ⁱⁿ
 Stoæ Sapientes, si sistema ejusmodi ipsis recognoscere
 contingat, idem, quod hodie fieri solet, conquerantur,
 falsa sibi tribui, mentem perverti, inique secum agi,
 quod opiniones discipuli, vel Doctoris privati, in ratio-
 nes Magistri vel totius familiae transcribantur. Et Sect.
 VIII ait: Plurima quæ Stoicis vitio verti solent conse-
 quentia sunt ex ipsorum systemate deductæ. Verum
 multa esse, quæ obſtunt, quo minus omnia liceat ali-
 cui tribuere, quæ ex ejus systemate fluere videntur,
 si quis mibi fidem habere abnuat judicem incorruptum
 D. Abbatem J. L. Mosheimum appello; Qui illud quoque
 prudenter ſciscit, nullum Veterum Sapientiae Antifitum,
 ne quid de recentioribus dicamus, innocentem & pium
 fore, si illa omnia ſenſiſſe eos pronuntiare liceret, ad
 quæ nos præcepta eorum videmus ducere. Hactenus
 Cl. Albrecht, cujus ſententiæ penitus ſubſcribo.

II. Existimavi & adhuc existimo, quorumvis
 hominum de Religione Systemata, ſive illi Gen-
 tiles, aut Turcae ſint, ſi modo rei natura id per-
 mittat, benigne eſſe interpretanda: Ego hoc Of-
 ficiū præſtitī Stoicis in mea Dissertatione, ne-
 que ut puto ſine ſontica cauſa. Omnes Stoici in
 universum cœterique Viri docti inter antiquos
 contendunt, Stoicos conſtanter docuiſſe: Dari
 duas æternas & ſibi oppoſitas ſubſtantias, Deum
 nempe & materiam: dari providentiam ad maxi-
 ma, medioxima & minima ſeſe extendentem: De-
 um non ſolum quid effecerit ſcivisſe, ſed & fines
 intendiſſe: hominem eſſe liberrimum. Hæc prin-
 cipia conſtanter tenuere. Quam diu autem illa
 ſtant Spinofismus illis nullo jure impingitur.

III. Omnes Interpretes admittunt, obſcurio-
 res & duriores Sectæ alicujus phrasēs ex iis locis
 eſſe

esse explicandas, in quibus perspicue, clare & rotunde animi sui sensa & decreta exposuerunt: At & hic talia adsunt magno numero.

IV. Perpendendum quid homines in tales perplaxitates conjecerit: Admittebant materiae æternitatem, & tamen aliquam in exornando Universo Deo tribuebant potestatem: Providentiam diuinam disertis verbis admittebant, ubi vero ad originem mali moralis & physici deuentum erat, & ad quæstionem: Si Deus omnia moderatur, cur malis bene est, bonis male? principia sua male cohaerere sentiebant; interim & providentiam & libertatem hominis constanter tuebantur. Inter Christianos sunt Viri Celeb. v. gr. R. SIMON, BEAUSOBRE & alii, qui neque ex voce נָבָּנָה neque ex vocibus οὐτισμού, ποτεία &c. Creationem ex Nihilo probari posse asseruerunt; sed ad contingentiam Universi confugiendum esse existimarentur. Idem in quæstionibus de origine mali & felicitate malorum, infelicitate vero honorum, multa egregia plane & Stoicis ignota adferunt; simul tamen candide affirmant, difficultates omnes hic occurrentes plane & plene in hac vita solvi non posse. Äquum igitur est, ut hominum maiore luce privatorum sententias benigne interpretemur. Quod a me factum esse jure puto.

V. Nihil facilius est quam ex obscurioribus & durioribus veteris Auctoris phrasibus, adjunctis hinc inde aliis principiis, suppressisque iis quæ benigniorem interpretationem admittunt, Systēma confidere, quod periculosis consecutariis obnoxium est. Ita factum ut habeamus Spinozistas ante Spinozam, Pelagianos ante Pelagium, Enthusiastas ante Enthusiastas &c. Immo beneficio hujus Methodi

ex Scriptis Stoicorum, Platonicorum, imo ipsius Jord. Bruni monumentis Leibnitianos ante Leibnitium reperias. Quo jure sciunt illi, qui Systemata illa ἀθεοπαθῶν examinarunt.

VI. Nescio quis morbus ætate nostra quosdam Eruditos adflavit Atheorum inter Veteres numerum adaugendi. Si hos audias, Orientales sere omnes, Græci & Romani, ut de Siamensibus, Chinensibus &c. nihil dicam, talia Systemata admirerunt, quæ Atheismo favent: Utrum hæc cum effatis Pauli ad Romanos de τῷ γνωστῷ Θεῷ & bonitate Numinis legem naturalem hominibus concedentis convenient, judicent alii. Ego assentior Celeberrimis Viris, Hamburgi quondam, imo universi Eruditæ Orbis luminibus, Alb. FABRICIO & J. C. WOLFIO qui ita de hoc argumento pronuntiarunt: Infelicem & religioni ac humano generi parum utilem, nec honorificum, sed iniquum laborem esse, principes ingeniorum & præstantissimos totius antiquitatis Viros invitatos trahere in Societatem Atheorum, & universum Ethnicismum confundere cum Spinozismo atque Atheismo, cum Apostolus quoque in Ethnicorum Sapientibus non tam desideret cognitionem Dei, quam quod Deum, quem ex operibus cognoscebant, non tanquam Deum honore sunt super omnia prosecuti. V. Biblioth. Græcae Lib. III. Cap. VI. pag. 178.

Hicce in antecessum præstructis ad Examen ipsum Argumentorum contra nos allatorum progedimur.

* * *

S. I.

Repræsentabo autem ipsissima Verba Cl. Theologi, eaque uncinulis quibusdam a meis distinguam, ne ponderi Argumentorum, quibus usus est *o Manegius*, aliquid detraxisse videar. Ita autem incipit pag. 36. loco citato: „ Occurrunt sane in Stoicorum scriptis effata haud pauca, „ quæ Cl. Viri assertis favere videntur, cuiusmodi nonnulla & ipse exhibui in introductione ad Philosophiam SToicam ex mente M. ANTONINI Imperatoris. Sed longe plura occurunt, „ quæ iis e diametro obversantur. Ita nimis res fese habet prout jam monui, & etiam in introductione illa observavi, dupli ratione Effata Stoicorum considerari posse, vel *in se* extra Systema Philosophiæ stoicæ spectata: vel prout *ex propriis* & domesticis Philosophiæ istius principiis fluunt, ac originem trahunt. *Priori modo* si quædam considerentur, subinde longe verissima sunt, pulcherrimaque, ita etiam parata, ut nihil minus quam Fatum aliquod stoicum indicare videantur. Sed si secundum vera & genuina Stoicorum principia ea explices, longe aliter se rem habere deprehendes. „

Responsio: Ut sententiam nostram rite explicenus, ante omnia monemus, nos, dum Stoicorum patrocinium suscepimus, probare noluisse, eos de Deo & Providentia recte per omnia sensisse: hoc in ipsa dissertatione & alibi perspicuis verbis monuimus. Hoc unum intendimus, Stoicos ita in hoc argumento locutos, itaque suam sententiam protulisse, ut unum aliquod Systema ex

certis & perspicuis principiis constans ex Scriptis
 eorum concinnari haud possit: concessimus &
 adhuc concedimus, posse hinc inde loca perspicua
 ex Scriptis Stoicorum colligi, ex quibus Systema,
 Spinozæ haud absimile, confici possit. At contendimus simul, ex iisdem monumentis plane huic
 oppositum Systema adornari posse: unde confici-
 mus nobis hac in parte ad $\tau\pi\chi\eta\pi$ recurrentum
 esse: Tale autem Systema quod Spinozæ opinioni
 contrarium est, & quidem ex domesticis Stoico-
 rum principiis petitum in Dissertatione nostra ex-
 hibuimus. Hæc si observentur, neque Stoicos ab-
 solvemus, neque etiam condemnabimus. Cl.
 BUDDEUS, aliique distinguunt Decreta Stoico-
 rum in certa atque domestica principia, secun-
 dum quæ cetera omnia splendide & recte, ut
 ajunt, dicta sint exigenda. At ubi tandem ex illud Systema stoicum e definitionibus, axiomati-
 bus, & propositionibus ita adornatum, cui aliae
 propositiones æque claræ atque domesticae oppo-
 ni non possint? Hactenus existimavi æquissimam
 esse omnium Interpretum regulam, ut nimis
 loca dubia & obscura ad certa & perspicua Auco-
 rum loca tanquam ad normam exigantur, & ex
 iis priora elucidentur: at frustra heic ad illam re-
 gulam provocatur; æque enim perspicua atque
 domestica loca, ut ita loquar, ad Stoicos absolvendos possunt ex Scriptis eorum peti, ac ad
 eosdem damnandos. Hoc adeo apertum est ut
 nulla propositio periculosa de Deo, de Provi-
 lentiâ, Fato adduci possit; cui contrafia, ea quæ sa-
 na & rectior opponi non possit. Hinc frastra
 mea sententia clamant Stoicæ Philosophiæ oppug-
 natores, eos, qui Stoicorum decretâ a Spinozæ
 sen.

Sententia abire contendunt ad certa & domestica eorum principia non attendere ; potest enim hoc in ipsis qui talia defendunt commodissime retorque-
ri : certe loca , quæ in Dissertatione mea adduxi , perspicua sunt , atque e domesticis eorum principiis petita : Neque mirum est nos hoc in argumento hærere dubios & suspensos , non enim videntur unquam Stoici cogitasse de Systemate aliquo concin-
nando , in quo omnia , quæ de Deo , Providentia & Religione naturali dici possent , apte inter se essent connexa , & certis atque perspicuis prin-
cipiis cohærentia : Tale saltem in Stoicorum Scriptis non legi . Systema vero Spinozæ quo ten-
dat , vident omnes , qui quid ex certis ratioci-
nandi legibus consequatur perspectum habent . Atque haec sunt , quæ oblitore hactenus , quo minus Stoicos Atheismi vel Spinozismi reos postu-
larem . Interim si quisquam mortalium ab iis opinionibus abhorret , quæ libertati divinæ & hu-
manæ insidias struunt , is ego sum .

§. II.

Pergit Cl. BUDDEUS : „ Haud raro Stoicos „ ita loqui ac si Deum pro Societatis humanæ „ vinculo omnique juris fundamento habuerint „ lubens equidem fateor : Sed vera & genuina „ ratio erat , quod Deum ceu animam mundi „ per totum hocce Universum diffusum crede- „ rent , cujus pars quædam , scilicet mens in „ singulis esset hominibus . Hinc homines par- „ tes esse Universi , & inter se cognatos conten- „ debant ; quorum adeo esset , neminem laedere „ se ipsum sincero amore prosequi , & quæ re- „ liqua erant Juris Nat. Capita . Ad hoc proban- „ dum provocat o Manegius ad ea , quæ singu-

„ lari Dissertatione Antonino Philosopho præmissa dixerat. „

Resp. (1.) Quæ de Anima mundi a Beato Viro dicuntur explicatius tradi debuissent, de quo tamen infra dicendi occasio suppeditabitur. (2.) Si dixissent Stoici, mentes nostras ex Deo esse delibatas, errassent quidem; at id non subverteret propositionem de origine Juris divina. (3.) Loca EPICTETI & PLUTARCHI, quæ in Dissertat. nostra attulimus, ad probandum existentiam Numinis, seu potius persuasionem de existentia Numinis secundum Stoicos omnium officiorum in Societate Civili vinculum esse; nihil de causa juris a B. Viro in medium producta innuunt. Considerabant Stoici universum mundum tanquam unam aliquam Civitatem hominesque a Deo in hunc mundum tanquam membra unius Reipublicæ demissos. Sublata igitur persuasione de Deo & Providentia tolli mutua hominum officia asserebant. Hoc docet excitatus a nobis ARRIANI locus: docent hoc ipsum loca alia Stoicorum: notum CICERONEM in libris de Officiis ut plurimum Stoicos sequutum. Is autem Lib. III. Sect. 6. ita de hoc Argumento loquitur: *Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis Societatem, qua sublata beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia, funditus tollitur: quæ qui tollunt, etiam adversus Deos immortales impii judicandi sunt.* Ab iis enim constitutam inter homines Societatem evertunt: *cujus Societatis arclissimum vinculum est magis arbitrari esse contra naturam hominem homini detrahere commodi sui causa, quam omnia incommoda subire vel externa corporis, vel etiam animi, quæ non vacent iustitiae.* Idem Cicero

Cicero Cap. 5. hujus libri naturæ nostræ rationem legem divinam vocat. Ita loquitur SOCRATES, PLATO, SENECA, aliquique Viri doctissimi inter Veteres. Vide passim Comentatores ad Off. Ciceronis, GRÆVIUM cum primis ad Lib. III cap. 5 & 6. Plane aliud vinculum Societatis humanæ posuerunt Stoici, quam hic a Cl. Viro fingitur. Præter loca citata egregie hoc mutuum vinculum Stoicorum explicuit Iacob CASAUBONUS in Comment. ad Sat. III. Persi, qui huic Societæ addictus erat. Poëtæ verba ita sonant:

*Discite O Miseri & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus & unde,
Quis modus argento, quid fas optare, quid aper
Utile nummus habet: patriæ charisque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse
Jussit, & humana qua parte locatus es in re.*

Ad ultimum versiculum ita commentatur CASAUBONUS. Observa divinam vocem Deus non Dii. Nam ita passim Seneca; M. Antoninus & Arrianus, atque alii e porticu doctores, qui et si loquebantur cum vulgo, & sepe Deos Deorumque nomina in ore habebant, in explicandis suæ Scholæ decretis Deum unum prodebat causam efficientem hujus Universi: sicut notum est e M. Tullio, Seneca, Laertio, Zenone atque aliis. Et humana qua parte &c. Humana res est universi humani generis Societas: adhuc igitur περιστερων loquitur. Nam homo quatenus homo est habet περιστην & naturalem conjunctionem cum omnibus hominibus: Sed illud generale officium restringitur postea aliis, ut dicam cum Stoicis, orbibus minoribus: qui eo expressius intelliguntur, quo patent angustius. Inde est quod

quod privatas charitates plures curant, quam publicas
 Civitatis aut regni utilitatem: nam ad universum mun-
 dum suas cogitationes referre, quam pauci sunt quibus
 vel solum in mentem unquam venerit? Stoici vero cor-
 rigendi hujus erroris gratia, unde multa in vitam pec-
 cata manarent, soliti suos non tantum ad universae hu-
 manae rei, ut heic contemplationem hortari, sed etiam
 ad torius rei Universitatis: Quippe omne hoc unum es-
 se, cujas pars imo membrum homines sint; singulas au-
 tem civitates esse quasi totidem Universi domos. Qui-
 quid instituerent homines, aut quiequid illis usu veni-
 ret, in ejus aestimatione oculos semper debere ad Univer-
 sitatis considerationem erigi; ex qua cogitatione illum
 fructum perciperent, ut nihil agerent, quod cuiquam
 mortaliu[m] noceret; nihil iniquo ferrent animo, quod
 magnus ille Rector decrevisset; certi omnia ab Eo sic
 administrari, quomodo ad Universitatis salutem expe-
 diat: nihil porro universo mundo expedire, quod pri-
 vatim singulis non sit conducibile. Jure igitur M. An-
 toninus libro III scribit, nihil adeo ad magnanimitatem
 valere, quam si norimus casus hujus vitae recte aestima-
 re: quod ita explicat ex superiori doctrina: Οὐδὲν
 ἔτις μεγαλοφροσύνης ποιίου, ὡς τοῦ ἐλεγχεῖν ὅδον καὶ
 ἀληθείαν ἐκάστον των των βιών ὑποκριτῶν δυναθεῖν· πατέ-
 το δε τέτως ἐις αὐτὴν ὥρᾳν ὡς τε συνεπιβαλλεῖν ὅποιοι Γη-
 νι των κορμών ὅποιοι τίνα τέτο χρεῖαν παρέχομενοι,
 τίνα μεν ἔχειν αἴτιαν ὡς πρὸς τοῦ ὄδουν, τίνα δε ὡς πρὸς
 τοῦ ἀνθρώπουν πολίτην ὄντα πόλεως της ἀνωτάτης, ἵν-
 αὶ λοιποὶ πόλεις ὡς πρὸς ὅμιλα ἐιστε. i. e. Nihil perinde
 magnanimitatem ingenerat atque expedite vereque discu-
 tere posse unum quodque eorum, quæ in vita contingunt;
 eademque sic intueri semper, ut mentem simul subeat,
 quali mundo, qualem usum hoc præbeat, quamnam
 Universi respectu dignitatem obtineat, quamnam, ho-
 minem

minem quod attinet, qui civem agit supernæ illius, eius
 jus reliquæ civitates istæ quasi familie existunt. Hac-
 tenus Casaubonus, qui plura hunc in sensum addu-
 cit loca, & conser GATAKERUM ad Lib. II. A.
 Philosophi Sect. XVI. Ex quo patet, longe ali-
 is, quam quæ adfert Cl. Buddeus, principiis Soci-
 etatis vinculum ex mente Stoicorum inniti. Mi-
 rum est autem, Beatum Virum ad dissertationem
 suam Antonino præmissam provocasse, probaturum
 Stoicos ideo existentiam Dei pro Juris principio
 habuisse, quod mens esset pars Dei. Nihil enim
 ejusmodi ipsem dixit B. Vir, sed plane contra-
 rium; proferamus quædam: Sect. XV. Cap. VII.
 de hoc argumento agit: Alterum vero, inquit,
 fundamentum, cui hanc doctrinam Stoici superstruunt,
 illud est, quod homo sit pars Universi & membrum
 magnæ ieiuis atque universalis Societatis. Provocat,
 ad hoc probandum ad Antonini quædam loca,
 & ad Sevecam. Quæ si adducemus omnium optime
 refutant ipsius Buddei interpretationem. Ita au-
 tem loquitur. A Philosophus ex versione duntaxat,
 ne prolixior sim: Ramus a proximo amputari ramo
 non potest, quin & a tota arbore resecetur; sic homo
 etiam ab uno avulsus homine non potest non etiam
 a toto excidisse cœtu. Et ramum alias aliquis: homo vero
 ipse se ipsum a proximo separat; dum eum odit, aus
 aversatur: ignorat autem etiam a tota civili Societate
 eadem ratione se abrumpi. Verum tamen hoc habe-
 mus munere Jovis, qui hanc Societatem constituit, ut
 rarsum ad crescere proximo, & pars esse totius possimus.
 Idem Lib. VII. Sect. 13. Quam rationem in unitis
 & compactis corporibus habent membra, eam obtinent
 ratione prædicta animalia in divisis, præparata ad unam
 quandam actionem. Hoc eo magis animum tuum tan-
 get,

get, si crebro tibi ipsi dicas: membrum sum ejus, quod
est ex ratione præditis conflatum, corporis. Si autem
dicas, te esse partem, nondum ex animo diligis homines,
nondum ex certa veri honestique comprehensione &
intelligentia beneficentiae usus te delecat: adhuc decoris tan-
tum causa illam exerces, non ut qui dum aliis benefa-
cis, fructum ipse tuae beneficentiae maximum percipias.
Lib. X. §. VI. Quatenus vero mihi cognatio quædam
est cum partibus, quæ sunt ejusdem generis, nihil
agam, quod a bono communitatis sit alienum, immo
potius congeneribus studens, ad communem utilitatem
omnes meas actiones dirigam & a contrario avertam.
Ita tandem loquitur Seneca Epist. 95. Membra,
inquit, sumus corporis magni, natura cognati sumus,
ex iisdem, & in eodem geniti, amorem nobis indidit
mutuum, ex ejus lege miserius est nocere, quam laedi.
Societas humana lapidum fornicationi similis est, cui si
se lapis unus subtraxerit, ruent omnia: omniumque la-
pidum ex aequo interest, singulos in suo loco & officio
continere. Hæc sunt loca illa, ex quibus B. Vir
ostendere voluit, Stoicos ideo juris omnis funda-
mentum in persuasione de Numinis existentia po-
nere, quod mens humana pars sit Numinis: fate-
or, me non tam acutum cernere, ut talia in ci-
tatis locis videam.

§. III.

„ Quod dicitur (pergit Cl. Buddeus) Stoicos
„ Deum a mundo distinxisse, non aliter admitti
„ potest, quam si per mundum intelligas materi-
„ am, a qua licet Deum distinxerint, simul ta-
„ men eum cum illa arctissimo vinculo conjun-
„ xerunt, adeo ut eum pro anima mundi habe-
„ rent. Quod vel innumeris, si opus esset,
„ comprobari posset testimonii; sed sufficient,
„ quæ-

„ quæ ex M. Aurelio Imperatore attuli in intro-
 „ duct. ad Philosoph. Stoicam Sect. III. segm. 3.
 „ pag. 34.

Resp. Concedit ergo Cl. Vir, Stoicos, Deum
 a materia distinxisse: quod si hoc est, Deus &
 materia vel mundus seu Universum non sunt una
 quædam substantia, quod statuit Spinoza. At ar-
 ctissime cum mundo, inquit, conjunxerunt Sto-
 ici. Sed dicendum tandem, in quo arctissima il-
 la conjunctio consistat. Certe ubique causam ef-
 ficientem & materialem distinguunt; distinguunt
 inter Deum & materiam. Hæc sunt domestica
 eorum principia, ut omnibus notum est. Ubi au-
 tem de operationibus Dei in mundum loquun-
 tur, statuunt aliquam Dei & mundi conjunctio-
 nem; adeo ut Universorum nomine non solum
 ipsum mundum, sed & Deum ipsum compre-
 hendant; ita tamen, ut quotiescumque agant de
 Deo & mundo separatim, ita semper loquantur
 ut aperte significant, se aliud Dei, aliud mundi
 nominé intelligere. Aperiunda ergo fuisset illa
 conjunctionis Dei cum materia ratio, antequam
 consecaria inde deducerentur. Cogitemus quæso,
 quam nos qui Christiani dicimus, conjunctionem
 Dei & rerum omnium in mundo statuamus. Con-
 tendimus Deum materiam omnem, postquam
 eam creavit, singulis momentis conservare, in
 eam agere, eam movere: dicimus Conservatio-
 nem esse continuatam creationem: dicimus Deum
 esse omnipræsentem, id est nullam materiæ par-
 ticulam esse, cui Deus non adsit singulis mo-
 mentis, & in quam vim suam non exerceat. De
 mente nostra ita loquuntur plerique, ut contend-
 ent, non solum substantiam ejus; sed & facul-
 tates, imo facultatum exercitium, sine potentis-
 sima

simia Dei operatione, subsistere per momentum non posse. S. Litteræ nos in Deo vivere moveri & esse testantur. Ex Eo, pér Eum & in Eo omnes res esse dicuntur, ut de phrasibus multis, quibus habitatio Dei in fidelibus exprimitur, (*) nil dicam. Hæc sane aliquam Dei & mundi conjunctionem inferunt, non tamen efficiunt, ut Deus & mundus una fiat substantia. At, inquit B. Vir, Deum pro anima mundi habuerunt. Speciosa hæc & sc̄pius repetita Objectio est, quam post Cl. Thomasum, B. Vir, aliique Viri docti referunt, dicentes Stoicos Deum, uti in Scholis loquimur, pro forma mundi *informante*, non *adſtente* habuisse. Mihi hæc objectio tanti non videtur esse ponderis, quanti videtur iis, qui a me in hoc argumento disentiunt, præsertim quod hæc loquendi ratio Scholasticis usurpata, Stoicis ignota fuerit. Sit autem, si ita velint Viri Docti, Deus anima mundi ex mente Stoicorum, num ergo probatum est, Deum & mundum unam absolvare substantiam? Certe hoc idem esset, ac si quis diceret, mentem & corpus unam absolvare substantiam, quia in homine utræque substantiae arctissime sunt conjunctæ. An conjunctionis ratio inter mentem & corpus adeo nota est, ut ex hac conjunctione translata ad Deum, certo & evidentet inferri possit, qualis inter mundum & Deum connexio sit? Dicendum ergo foret quounque illam conjunctionis rationem urserint Stoici. Neque hic unus vel alter locus obscurior, aut durior loquendi ratio pro norma interpretationis omnium aliorum locorum contraria docentium habendus est, silentio plane involutis omnibus,

(*) Videsis Act. XVII : 18. Coloss. I : 16. 17. Rom. XI : 36. &c.

quæ

planiorem sensum fundere possunt. Certe tota loca sunt in quibus mundum a Deo distinguunt, & Imperium Dei in omnia illi constanter tribuunt, ut mitum sit urgeri illam Distinctionem: unum alterumve adducamus. *M. Antoninus Lib. VI.*
Sect. 36. ita loquitur: *Asia Europa Orbis sunt anguli: Mare quodvis guttula: Athos mons ejusdem glabelula, tempus omne instans punctum ævi, parva omnia caudata, evanida, proveniunt indidem universa, a Mente communia illa vel directe profecta, vel per consequentiam necessariam, etiam rictus leonis, & venena & noxiunum quidvis, sicut spina & lutum NB. quæ rerum illarum pulchrarum & speciosarum appendices sunt; noli ergo ista ab eo quem colis aliena opinari, sed rerum universarum Originem tecum perpende. Qui presentia vidi cuncta vidi, tum quæ ab æterno fuere, tum quæ in æternum futura sunt, cuncta enim cognata sunt & uniformia.* Vide ad h. l. *Gatakerum.* *Seneca de benefic. Lib. VI. cap. 23.* Dii (inquit) prima illa constitutione, cum universa disponerent, etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt: in nostras utilitates principio rerum præmissa mens est, & is ordo mundo datus, ut appareat curam nostri non inter ultima habitam. *Iudem Stoici teste Cicerone de N. D. cap. LIII asserebant, mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari.*

Juvenalis Sat. X. v. 346. ex mente Stoicorum ita loquitur:

*Nihil ergo optabunt homines? si consilium vis,
 Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
 Conveniat nobis rebusque sit utile nostris:
 Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt DI
 Carior est illis homo quam sibi.*

Vide ad h. l. *Commentatores.*

Denique Seneca Cap. XXXII. Lib. IV. de Benef.
 Nota est illis operis sui series, omnium illis rerum per
 manus suas iturarum scientia in aperto semper est, nobis
 ex abdito subit. Num ita loqui potest qui Deum
 cum mundo confundit? At videamus, quoniam
 ad Dissertationem Antonino præmissam provocat
 B. Vir, qua ratione ibi probet Deum cum mun-
 do arctissime conjunctum: Fatetur pag. 3. 4. testi-
 moniusque probat, Stoicos per Deum intellexisse
 mentem, vel rationem per naturam rerum omni-
 um intentam & commeantem. Post hæc ita per-
 git: „ Ita in universum omnes Stoici, qui De-
 „ um pro Anima mundi venditabant. Istud vero
 „ & hic sibi vult Antoninus, & alibi quoque
 „ aperte docet; Namque & Lib. VI. Sect. 29.
 „ Opificem mundi, hoc est Deum, rerum natu-
 „ ræ semper intime adesse scripsit: Ἐπι τῶν ὑπο
 „ φυσεως συνεχομενων ἐνδρι ἐστι καὶ παραμενει οὐ κατα-
 „ σπεναγασα δυναμις. i. e. In his quæ natura conti-
 „ nentur, remanet, intusque est vis ea opifex.
 „ Et alibi: Μηδεὶ μονον συμπνει τῷ περιεχούσῃ αέρι,
 „ ἀλλα οὐδὲ καὶ συμφωνει τῷ περιεχούσῃ πάντῃ νοερῳ,
 „ οὐ γαρ οὔτε οὐ νοερᾳ δυναμις πάντι κεχύται, καὶ δια-
 „ πεφοιτηκε το σπασαι δυναμενων οὐ περι οὐ δερωδης τῷ
 „ ἀναπνευσαι δυναμενων. i. e. Non jam tantum una
 „ spirandus est universus aér, sed & consentien-
 „ dum cum Mente, quæ universa complectitur:
 „ Haud enim minus vis intellectrix ubique cir-
 „ cumfusa est, & omni qui trahere potest, se
 „ ubique ingerit, quam communis hic aér omni
 „ spirare volenti. Lib. VIII. Sect. 45. Nimirum
 „ Deum non tantum esse Animam mundi hic do-
 „ cuit Antoninus, sed & homines ipsos divinæ hu-
 „ jus esentiae, sive animæ mundanæ esse parti
 „ cipes

cipes. Plane ad eius mentem Seneca : To-
 tum hoc, quo continemur & unum est,
 & Deus est : & Socii ejus & membra su-
 mus epist. 97. Atque inde etiam evenit, ut
 Deus tum exteris Stoicis, tum etiam sc̄epius
 Antonino nostro Naturae nomine veniat. Sic n̄
 των ὀλῶν φυσις inquit τέλο ἐργον ἔχει, τα ως οἱ
 ὄνται ἐκει μετατιθεναι, μεταβαλλειν, αἰρειν ἐνθευ
 και ἐκει φερειν. Universi natura hoc agit, ut
 quæ hoc modo habet alio mutet, & ex uno
 loco in aliud res transferat. Sed omnes qui-
 dem Stoicorum, quos de Deo fovebant erro-
 res, unico quasi fasciculo accurate complexus
 est Jacobus Thomasius de exustione mundi Stoic-
 ca Dissertat. XIV. Docebant enim Deum intimo
 insinuatum esse mundo, & quidem per mo-
 dum partis formalis, qualis est anima in cor-
 pore, ita ut cum eo constitutat unum per se
 compositum, alterque alteri & nomen suum
 & proprietates communicaret. Istud quidem
 recte adserebant, & Antoninus quoque docuit,
 intime adesse Deum mundo. At in eo plane
 falluntur, quod Deum I) partem Universi for-
 malem facerent. II) idque Deum mundo esse,
 quod anima est corpori, adeoque III) Deum
 cum mundo unum per se constituere, & IV)
 nomina quoque & proprietates utrumque ha-
 bere communes docebant. Id quod copiose,
 eruditissimeque demonstravit J. Thomasius l. cit.
 Nec Antoninus, utut sc̄epius cœteris Stoicis
 longe sanior sit, ab hoc errore immunis est:
 dum enim mentem per universam rerum natu-
 ram penetrare dixit, sine dubio ejusmodi uni-
 onem intellexit, qua corpori juncta est anima.
 Præterea dum Naturæ nomine Deus pariter ac-

„ mundus illi venit, idem utriusque nomen illi trahuit, & cum cœteris Stoicis plane se consenserit demonstrat. „ Ita Beatus Vir.

§. IV.

Pervestigemus singula diligentius. Et primo quidem fatemur, Stoicos dixisse, Deum esse Animum per totum Universum intentum: at inde sequi, Deum esse Animum mundi eo sensu, quo sumit Beatus Vir, nempe Spinozæ, nemo concesserit, neque locus Antonini, qui Deum intime rerum naturæ adesse dicit, probat, Deum esse Animam mundi. Adponam ipsa verba integra & quidem secundum versionem brevitatis causa: Ita autem Imperator Organum, Instrumentum, vas quodlibet, si id, ad quod conditum est, facit, bene se habet. Ibi tamen Opifex, qui considerat jam abiit: At in eis, quæ a natura continentur, intus est, ibique residet, quæ ea considerat vis. Proinde magis eam vereri oportet; existimandumque tibi, si secundum illius voluntatem te haberis, degérisque, omnia tibi ex animi sententia se habere: Sic autem & Universo, ex animi sententia sui habent se sua. Num autem hoc probat tandem, Deum esse animam mundi, unamque cum mundo constituere Substantiam? nimirum Vis divina non abest a rebus conditis, sed jugiter illis adest, ergo ita est in mundo, ut mens in corpore, imo ea mens unum facit cum mundo. Quis tulerit æquo animo hanc rationationem? An non omnes Christiani docent, Deum jugiter cunctis adesse, ea singulis momentis producere & movere? Neque perspicuus plane ad idem probandum est alter locus Antonini B. V. citatus. Per τον νοερον παντα περιεχον intelligit mentem omnes mundi partes pererrantem: huic com-
venien-

venienter esse agendum primo docet perspicuis verbis; nimirum το συμφορειν. Deinde metaphoricis verbis idem exprimit per το attrahere. Videtur esse sensus talis: Quemadmodum aërem ubique circumfusum quilibet possunt attrahere; ita Deorum voluntati ubique vim suam exercenti convenienter agere possunt omnes. Vedit tamen hic animam mundi *Gatakerus*. At sit ita, num sequitur mens, seu Deus ubique activitatem, licet hac voce minus latina uti, suam etiam in homine egerit, ergo Deus est anima mundi? certe si mens nostra est pars Dei, ut B. Vir vult, quid opus est monere, ut Deum ubique præsentem seu mentem omnia commeantem attrahamus? neque quod tandem Stoici Deum Naturam adpellitarint, sequitur, mundum cum Deo ex mente Soicorum unam esse substantiam. Quod jam probandum. De diversis notionibus vocis *Naturæ* ex mente Stoicorum jam quidem solliciti haud sumus. Videantur *Lipsius*, *Gatakerus* & Commentatores ad *Ciceronem de Nat.* D. Lib. II. Probabimus duntaxat, Stoicos quando hanc vocem adhibuerunt, ad causam omnium rerum primam notandam, ita loqui, ut satis patet, eos Deum & mundum pro una eademque substantia non habuisse. Proferamus exempla ex ipso *Antonino*. Lib. VIII. Sect. 20. ait: Η φυσις εἰσχασται εἰναι το ἐλαττον της ἀποπληξεως η της ἀρχης τε και διεζεγωνώς οι ἀναβαθλων την σφαιραν. Natura rationem habet rei cuiusque; tam ad finem quam ortum & durationem: quemadmodum & is qui pilam mittit, pilæ scilicet rationem habet. Hic certe η φυσις a rebus omnibus recte dirigendis plane

ne distinguitur. Eodem libro Sect. 35. pag. 171. Sicut reliquas facultates rationalium unusquisque fere ab Universi Natura ($\tauων λογικων Φυσις$) accepit, ita hanc nos ab eadem facultatem accepimus: quod quemadmodum illa quicquid obstat & renititur, in usum suum circumvertit, & in fato disponit, atque ita partem sui facit, ita & animal rationale. &c. De Numine, cuncta hic disponente, sermonem esse, qui libet videt. Quod ipsum certe juxta Antoninum a rebus, quas circumducit, & in suum usum convertit, distinctum quam maxime est. Lib. 9. Sect. I. Ο $\alpha\deltaινων \alpha\sigmaεβει$. Της γαρ $\tauων 'Ολων Φυσιων$ καλεονταιναις τα λογικα $\lambda\omega\alpha$ ενεκεν $\alpha\lambdaηλων$ α $\sigma\tau$ αφελειν μεν $\alpha\lambdaηλα$ πατ' $\alpha\xi\tau\alpha$, βλαπτειν δε μιδημασ. i. e. Qui iniuste agit impie agit. Quum enim Universi Natura animalia rationalia sui invicem gratia considerit, ut sibi invicem pro cuiusque dignitate profint, nec ulla ratione sibi invicem obsint; qui naturae hoc placitum violat, impie prorsus agit. &c. In eodem paragrapho eandem $\tauων 'Ολων Φυσιν$ vocat $\tauων \alpha\lambdaηλετρων$. κατ' $\tauων \alpha\lambdaηλων \alpha\lambdaηθων$ επαντιν πρωτην αιτιαν. Eodem paragrapho luculentius adhuc sese explicat Antoninus dicens: Per hoc autem quod dicitur, Universi Naturam istis ex aequo uti, intelligo ista ex aequo evenire, ex serie quadam rerum prodeuntium, sibique invicem succendentium juxta antiquissimum quendam NB. Providentiae motum, quo a principio illa ad hanc rerum omnium ordinationem & adornationem se contulit, quum rationes quasdam rerum futurarum apud se conceperisset, & facultates quasdam existentiarum, transmutationum, & successionum istiusmodi fecundas discrrevisset. Taceo alia loca, quæ adferri possent; Ex quibus constat Stoicos, dum de Natura Universi locuti sunt, non semper mundum in genere, vel

vel Universum eo nomine voluisse significare, sed & Deum causam Universi. Novi quam pulcherrime apud Ciceronem Lib. II. alibique, mundum a Stoicis aliquando Deum appellari, at qui totius rationationis stoicæ seriem, vimque perpendit, facile animadvertiset, mundum ideo vocari Deum, quod divinæ rationis vis & efficacia in mundo omnibus partibus constanter, jugiterque se se exerat; simili ratione ac hominem vocamus sapientem, non quod putemus corpus & mentem unam absolvere substantiam; sed quod per actiones externas declaretur, inesse menti facultatem virtutem actionibus exprimendi: hinc illud Senecæ: *Nostri melior pars ratio, Deus totus ratio.*

§. V.

At provocat Beatus Vir ad Jacobum *Thomasium*, quod omnes facere solent stoicæ philosophiæ oppugnatores. Is Disserat. XIV. de stoica mundi exustione probare contendit, stoicum Deum formam Mundi (ita loquitur) informantem esse. Pag. 178. de Exustione Mundi stoic. sex Propositionibus hanc suam se sententiam probaturum promittit: 1.) Stoicum Deum intime insinuatum mundo & 2.) quidem per modum partis formalis, 3.) qualis est anima in corpore, ita ut 4.) cum eo constituat unum per se compostum, alterque alteri & 5.) nomen suum & 6.) proprietates communicet. Non nego diligentissime omnium, quotquot unquam stoicos impugnarunt, *Thomasium* in hoc argumento versatum. Quemadmodum autem in Dissertatione de Fato Stoicorum fallor non negligenter ostendi, rationes, quibus Disserat. XIII. utitur, non esse omni exceptione majores; debuisset utique à *Mauritius* argumenta mea, quæ opposui *Thomasio* expendere

dere atque rationes adducere cur eas sibi non omnino satisfacere putet: Ita etiam existimo Doctissimum Virum equidem probasse, stoicos Deum arctius quam par erat aliquando cum mundo conjunxisse, minime autem eosdem, Deum & mundum pro unica substantia proprie ita dicta habuisse, quod tamen requiritur si quis Stoicos Spinozæ antecessores facere vult. Ibo igitur per singulos illos sex articulos visurus, utrum rationes Thomasii conficiant, mundum & Deum juxta sententiam Stoicorum unicum sensu rigido efficere substantiam.

Prima erga propositio Thomasii hæc est. Secundum Stoicos: Deus intime insinuatur mundo. Probat hoc testimoniis Plutarchi & Athenagoræ. Hæc propositio nil nos moratur. Non enim utrum Deus dici possit insinuatus, sed quænam illius insinuationis sit ratio, & quousque ea secundum mentem Stoicorum sit extendenda, quæritur. Secunda. Stoici faciunt Deum partem mundi formalem. Probat hoc variis locis: feligamus duo, primus est Senecæ epist. 65. Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura ex quibus omnia fiunt, Causam & materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura si nemo moveat. Causa autem, id est ratio, materiam format, & quocunque vult versat, ex illa varia opera producit. Ibid. Universa ex materia & Deo constant. Alterum est Laßanti Lib. VII. cap. 3. Stoici Naturam in duas partes dividunt: unam quæ efficiat, alteram, quæ se ad faciendum tractabilem præbeat: In illa primam esse vim sentiendi, in hac materiam, nec alterum sine altero esse posse, quæ ultima verba Cicero Acad. quæst. Lib. I. ita explicat: Neque enim materiam ipsam coherere potu-

potuisse si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia. Observet hic Lector, aperte duas res, duas partes, & substantias a Stoicis memorari: *una dicitur, efficiens, ratio, causa; altera materia, res iners ad omnia parata.* Habemus ergo duas substantias, non unam. Hæ substantiæ certe non sunt una, postquam *causa, ratio, materiam quo vult versat:* Conjunctionis ratio secundum citata loca in eo consistit, quod mundus, id est, partes Universi plane consistere, suamque formam, pulchritudinemque habere non possent, *sine causa & ratione;* & vicissim quod Deus secundum Ciceronem vim suam potestatemque exercere non posset, nisi esset materia: Quod igitur mundus tam eleganter ornatus, compositusque sit, id Dei perpetuae jugique præsentiae tribuendum; nunquam juxta hæc loca dicitur, de quo tamen quæstionis summa est, quamprimum *causa, vel ratio, ad materiam accesserit,* in unum utramque substantiam ita fuisse fusam, ut Deus fuerit mundus & mundus Deus. Hinc aperte Seneca in rerum natura duo esse ait, ex quibus omnia sunt. Non per unam Substantiam varie mutabilem omnia decurrere. Regerit Thomasius aliisque, Stoicos causam illam pro subtilissimo igne habuisse. (*) At ego dico, Stoicos cum de causa & ratione locuti sunt, omnia attributa, quæ facultati intellectuali competunt, adscripsisse Deo, quod hactenus quidem

N 5

(*) Hanc sententiam Thomafii gravissimis rationibus & testimoniis impugnat Cl. Brugmannus loco citato, quæ vero, cum ad summam disputationis nostræ non pertinet, non hic adducimus.

dem ad discrimen illud a Stoicis positum sufficit: Præterea non sequitur Deus purissimus ignis con junxit se materiæ inerti, eamque in partes versat, Ergo Deus unum fit cum materia. Adhæc ubi manent illa loca in Dissertat. mea allata, in quibus Deus secundum Stoicos præscire nexus rerum dicitur, finesque intendisse?

Sequitur Tertia propositio: Stoici crediderunt id esse Deum mundo, quod anima corpori. Ita Seneca epist. 65. Quem in hoc Mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus: quod est illuc materia, id nobis corpus est. Eodem modo loquitur Laërtius de Zenonis opinionibus agens: Sit autem ita atque exhibeat mens divina idem officium mundo, quod anima corpori, num ergo duæ illæ substantiæ non amplius sunt distinctæ? num mens nostra corpori adglutinata, vel ante conjunctionem cum corpore, vel post solutionem nihil est? certe Stoici unitatem Dei, licet mundum jugiter permeantis constanter professi sunt: hinc Laërtius in Zenone: 'Εν ἐναυ Θεον, ναι νεν, ναι ἐμπρομεννη, ναι Δικ. Quomodo autem sic loqui possent, si mundus a Deo plane respectu essentiæ numericæ distinctus non esset? quomodo Jupiter, post factam mundi conflagrationem subsistere potest, si cum mundo unam eandemque absolvit substantiam? in Deum autem, secundum Stoicos, conflagrationem mundi vim suam non exercere ipse fatetur Thomasius loco citato Dissertat. VII. Idem potest aliis confirmari locis. Unum sufficiat Senecæ testimonium qui epistola nona ita ait: *Qualis futura est vita sapientis si sine amicis relinquatur in custodiam conjectus, aut in desertum littus ejectus, qualis est Jovis, quem resoluto*

*solito mundo, & Diis in unum confusis paulisper ces-
sante natura acquiescit sibi cogitationibus suis traditus.*

*Quarta propositio: Deum & Materiam constitueret
Stoicis unum per se compositum. Probare hoc vult
Thomasius longa oratione Laetantii, Stoicos Lib.
VII. cap. 3. insectantis: At re vera quarta hæc
propositio nonnisi est consecutarium tertiae. Si
enim Deus in mundo, quod mens in corpore
efficit, videtur Deus cum mundo <sup>Ev. v. 15 apud
yov</sup> æque confidere, ac mens juncta corpori ho-
minaem constituit: Quando Stoici dixerunt, Idem
esse Deum mundo, quod mens corpori, potest
sine dubio illud Consectarium elici, quod quarto
loco ponit Thomasius: At vehementer dubium,
utrum Stoici, quando Deum mundo ita adesse
dixerunt, ut mens corpori adest, contendent,
plane omnia officia, munera, eandem plane con-
junctionis rationem & efficientiam Deum in mun-
do & mundum vicissim in Deum habere, quæ
resultare possunt ex mutuis mentis & corporis
affectionibus. Hoc eo usque ego extendere
nolle; nisi ipsissima eorum verba docerent
propositionem illam tertiam ita esse intelligen-
dam. Sane antequam mundus in ordinem esset
digestus, Deo consilium aliquod Stoici tribue-
runt mundi exornandi, quo posito affirmandum,
tam arctam tum nondum fuisse conjunctionem.
Quicquid autem de eo sit, non conficitur, si
vel maxime consecutarium illud admitteremus, ex
Deo & mundo unam fieri substantiam, juxta
Stoicos, quod unice probandum incumbit. No-
tum est insuper Stoicos de multis non adeo ac-
curate atque perspicue locutos, vel solus Seneca
exemplo esse potest. Ex ejus Scriptis multæ pro-
positi.*

positiones manifeste sibi invicem repugnantes colligi possent. Quod & ut supra audivimus, fas-sus est Cl. Moshemius. Præter ea, quæ in Dissertatione mea J. Thomasio opposui, aliquid hic ut propositioni meæ sua constet veritas est adjiciendum & probandum Stoicos Deum a mundo & materia distinxisse. Videamus hoc primo respectu materiæ. Præter locum citatum Laërtii multa alia sunt loca allegata Menagio ad Laërtium Lib. VII. Sect. 134. Lipsio phys. Stoicæ Lib. II. cap. IV. Gataker ad Anton. Lib. II. Sect. 134. v. sq. Ex innumeris unum tantum superaddimus Zenonis nempe apud Stobæum in Electis physicis dicentis: Ὁὐσιαν ἔιναι τὴν τῶν Ὁὐτῶν πρωτην τὸν, ταῦταν τε παταῖς αἰδίον, ὃτε πλειστὴν γενομένην ἔτε ἐλαττώ. Ex quo recte colligit doctissimus Brugmannus in Dissertatione pag. 13. meditationis meæ laudata, Stoicos Deum realiter a materia distinctum esse professos. Qui enim inquit (pag. 28.) duo communiscuntur principia, quod Manichæorum est, plane diversa, materiam atque Deum, hi commiscere eadem, aut pro una substantia venditare nequeunt. Quod si vero nonnemo interserat, materiam omnem a Stoicis ut a Spinoza pro attributo Dei haberi potuisse, huic opponimus prædicata sequentia, quibus Stoici materiam atque Deum distinguunt: scilicet materia est substantia composita, Deus ratio spiritualis: materia iners & bruta patitur; Deus vita & vivendi virtute præditus: materia mutabilis est in elementa & formas; Deus non item. Materia est mali Origo & subjectum; Deus nil nisi bonum operatur: materia est independens a Deo; Deus nil negotii cum ea habet nisi quatenus formando eam dispu-suit.

suit. Hactenus Cl. Brugmannus. Facile insuper etiam ostendi potest Eosdem Deum cum mundo non confundisse, neque pro una eademque substantia habuisse. Præter ea quæ in Dissert. mea adversus Thomasium dicta sunt, sequentia observari velim: Et primo quidem apertum est testimonium Senecæ Epist. 65. dicentis; Stoicis placet unam causam esse, quærimus quid sit causa? ratio faciens id est Deus; multum interest inter opus & causam Operis: probat hoc definitio Mundi apud Laërtium in Vita Zenonis segm. 138. quæ sic sonat: Συστημα ἐξ ἔργων καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τετοῖς φύσεων. Ἡ συστημα ἐκ Θεῶν καὶ αὐτοφύων καὶ τῶν ἐνεκτήτων γενονταί: Verum est quod Stoici aliquando mundi nomine Deum solum, aliquando Deum cum Creaturis intelligent. Prior acceptio (verba sunt laudati Brugmanni) metonymica est, denominatione a potiore sc. forma & anima mundi facta: posterior vero inde nascitur, quia Deum formam mundi informantem, ut Scholastici perhibent, autumant: utraque adhibetur ut Deo magnitudo sua reddatur, nihil enim majus excogitari potest, quam si opus suum & extra & intra teneat, ut Seneca loquitur. Neutra quidem identitatem substantiæ divinæ & humanae arguit, neque enim verba, sed verborum sensus aestimari debet. Probatur insuper diversitas mundi juxta mentem Stoicorum ex eo, quod Illi credebant mundum nonnisi modificationibus a materia differre: Quod si hoc est, Deus æque a mundo ac a materia distinctus est. Prius asserit Plutarchus de placit. philosoph. cap. IX. dicens ex mente Stoicorum: Υπὸ εἰς τό ὑποκειμένου πρώτου γενετει καὶ φύσει καὶ ταῖς ἀλλαις μεταβολαῖς. Hinc teste Laer-

tio Stoicis mundus habetur qualitas rerum omnium. *Ἐστιν* inquit *κόσμος ὁ ἴδιως ποτὸς τῆς ταν δὲων κύτιας.* Est igitur mundus in se spectatus res ex ingenti particularum materiæ massa constans, cui demum accidente causa efficiente suus constat Ornatius. Præterea & ex eo, hæc mundi & Dei diversitas potest ostendi. Nimirum Deus secundum Stoicos ab æterno non fuit conjunctus cum mundo, sed inerem materiam digessit, & post conflagrationem mundi, uti ante docuimus, Deus subsistit solus. Denique ipse Anton. Philosophus mundum ut magnam Civitatem, Deum ut ei inhabitantem considerat, vide passim A. Philosophum. Inspiciatur ipsa dissertatio Cl. Brugmanni, qui ultimis thesibus prolixius hæc deducit.

Quinta propositio. Mundo & Deo intercedit juxta Stoicos nominum communicatio: Ita Laërtius in Zenone: *Λεγεστι τε τον κοσμον τριχως αυτον τε τον Θεον και αυτην δε διαιρομησιν των ασερων και τριτον το ουρανον εξ αμφοιν.* Insuper ait Thomasius ipsos mundi partes ipsas Deos fecisse. Probat testimonio Ciceronis in *Lucullo* dicentis: *Erit persuasum etiam Stoico, solem, lunam, stellas omnes, terram, mare, Deos esse, quod quedam animalis intelligentia per omnia ea permeet & transeat.* At probandum erat, hanc nominum communicationem involvere rerum ipsarum commutationem, & confusionem. Certe hæc imputatio *ἀνυπολογίᾳ* sermonis est adscribenda. Ne solus autem sapere videar, citabo Virum, cuius judicium, scio, mecum disfertientes magni facient. Is est Doctissimus Mosheimus in luculentis adnotamentis ad *Cudworthum* pag. 507 ita dicens: *Neque illis majorem haberi fidem posse putem, qui terram, aquam, ignem & nescio*

scio quas alias naturæ rerum partes a Stoicis in Deo-
 rum ordine repositas esse, scriptum reliquerunt. Lo-
 quendi quæ Stoicis usitata erat ratio, effecit, ut opinor,
 unice, ut multi tant prave de hoc genere sen-
 tirent. Vim nimirum diuinam per naturam uniuscu-
 jusque rei pertinere, existimabant: quam propter cau-
 sam rem unamquamque Deum & vocari posse quo-
 dammodo censemabant, & vocabant etiam sœpenumero.
 Res ipsa, inquit Stoicus apud Ciceronem de Nat. D.
 Lib. II. Cap. XXIII. disserens, in qua vis major in-
 est aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur
 Deus. Idem paulo ante: Illud quod erat a Deo
 natum, nomine ipsius Dei nuncupabant. Ex quo fa-
 ctum ut multi, quos harum loquutionum vis fu-
 giebat, existimarent, ipsas naturæ rerum partes pro
 Diis singularibus & per se constantibus a Stoicis ha-
 beret: a qua tamen illi sententia prorsus aversi erant.
 Nomina unius Dei varia pro varietate munierum & vir-
 tutum, quibus prædictus esset, circumferri patiebantur:
 sed ad unam hæc omnia vocabula naturam pertinere,
 diversa ratione vim suam declarantem, existimabant.
 Seneca de Benefic. Lib. IV. Cap. VII: Quæcumque vo-
 les, Deo nomina proprie aptabis, vim aliquam effectum
 que cœlestium rerum continentia. Tot appellationes ejus
 possunt esse, quot numeri: & Athenagor. Apolog. pro
 Christian. pag. 28. Stoici et si nominibus pro diversitate
 materiæ per quam Spiritum Dei penetrare ajunt, aliis
 atque aliis utentes, multiplicare Deum videntur, re ipsa
 tamen unicum esse Deum statuunt. Hactenus præ-
 stantissimus Mosheimius. Cujus responsio simul
 satisfacit sextæ propositioni a Thomasio contra Sto-
 icos allatæ: quæ ita sonat:

Deo & mundo proprietatum quoque, juxta Stoicos, in-
 tercedit communicatio. Probat hoc aliquot locis:

unum

unum Ciceronem in *Lucullo* ita dicentem audiamus: *Approbabit Stoicus*, hunc mundum esse sapientem habere mentem, quæ & se & ipsam fabricata sit, & omnia moderetur, moveat, regat. Certe & hæc accusatio non nisi nititur quibusdam minus accuratis Stoicorum argumentationibus, quibus probare volueret, mundum hunc a causa sapiente omniaque permeante & ciente factum. Legatur liber secundus *Ciceronis de Nat. Deorum*, ubi Stoicorum argumentationes & *Cottæ Academici* argutas cavillationes deprehendentes: manifestum erit, injuriam Stoicis fuisse illatam, atque Adversarios ad verba potius, quam ad scopum ratiocinationum atten-disse. Dudum hoc præter alios observavit *Cudworthus* Tom. I. pag. 504. sq. Non autem negamus, & potuisse & debuisse Stoicos de hoc arguento clarius loqui, neque diffitemur eosdem, dum Providentiam, & immensam Dei Vim extendere bono, ut credo, animo, voluerunt, minus provide ac circumspice sœpe locutos: Sed hæc contra *Thomassum* sufficient, redeamus ad *Buddeum*. Is ita pergit contra me disserendo.

„ Quantumvis itaque splendida etiam sint illorum de Providentia divina dicta: errorem tam, qui illis tegitur, non potest non statim deprehendere, qui tum ad notionem Dei, quæ animis illorum insedit, tum ad reliqua principia eorum propria & domestica respexerit. Atque ita plurima eorum se habent effata, ut incautis hypothesisque eorum ignaris sum cum facere queant; simul tamen secundum verum & genuinum eorum sensum cum doctrina de fato optime cohaerent, ut nihil inde, quod huic repugnet, colligi, queat. Quædam

„ dam tamen rursus occurunt, quæ cum sen-
„ tentia de fato conciliari nequeunt; quorsum
„ cum primis magnifica illorum de libertate pro-
„ nuntiata pertinent. „

Resp. II.) Qualibus proprietatibus Deum in-
structum esse dixerint Stoici supra in Dissertatione
satis dixi. (2.) B. Vir non explicat, quid ergo
tandem eos putaverit de fato statuisse. Concedit
ea, quæ de libertate ab ipsis constanter dicuntur,
ita esse comparata, ut cum propositionibus qui-
busdam, quas de fato in medium protulerunt,
conciliari non possint. At hoc ipsum ego in Dis-
sertatione volui probare ex testimoniis quæ super-
sunt; Systema apte inter se connexum concinnari
haud posse, neque adeo in re dubia attendendum esse
ad ea sola, quæ de fato dicuntur, sed & ad ea, quæ
contra dixerunt idque clarissimis verbis. Mirum est
Cl. Virum nec verbo meminisse eorum, quæ con-
tra *Thomasm* de Fato Stoicorum agentem dis-
serui, ad ea enim, si in responsis suis attendere voluis-
set, gravioribus opus fuisset argumentis. 3.) Verum
est, Stoicos, doctrinam de fato & libertate con-
ciliare non potuisse, at num ideo tantopere sunt
exagitandi? O quam iniquam in nos ponimus le-
gem, qui dum alios exagitamus, in hoc argu-
mento obliviscimur difficillimarum objectionum,
quas omnis generis Adversarii contra receptam
sententiam Christianorum in medium proferre pos-
sunt. Quis tandem ille Theologus aut Philoso-
phus est, qui doctrinam de Providentia & Liber-
tate ita explanavit, ut nullus supersit scrupulus
aut nodus vindice dignus?

„ Illud scio (ita pergit B. Vir) tam aperta,
„ tam evidenter illorum de ineluctabili quodam
„ fato esse asferta, ut solem ipsum luce sua pri-

„ vare velle videatur , qui ista de Providentia di-
 „ vina explicare velit : Ex iis , quæ magno nu-
 „ mero proferri possent , unicum tantum M.
 „ Aurelii Imperatoris recitabo , quod ita
 „ comparatum est , ut nullam prorsus exceptio-
 „ nem admittat Lib. VII. Sect. 9. pag. 134.
 „ Hic fati immutabilem & indeclinabilem ne-
 „ cessitatem sacri nodi nomine referendo forte
 „ nodum Herculis aut Jovis Catenam Homero
 „ memoratam designat , quo omnia ita inter se
 „ implexa , ut alterum sine altero esse nequeat ,
 „ seu ut posito altero , non possit non alterum
 „ consequi. Idque tam firmiter Antonino per-
 „ suasum fuit , ut sc̄pissime repeatat & nunquam
 „ non inculcat. „ Vide Lib. VI. Sect. 28. pag.
 I22.

Resp. Antequam loca ipsa , ad quæ provocat
 B. Vir. adducamus , hoc unum monebimus ; esse
 nimirum loca in Stoicorum Scriptis , quæ indecli-
 nabilem ejusmodi necessitatem inferant ; sed &
 dari his ipsis contraria , quod ex Dissertatione no-
 stra de Fato liquet , & aliis testimoniis mox addu-
 cendis amplius constabit : Quæ omnia docent ,
 Stoicos ipsos sibimet in hoc argumento non con-
 stitisse , neque adeo certum aliquod & fixum , cer-
 tis propositionibus innixum Systema , de Fato
 ex eorum Scriptis confici posse. Fatetur ipse
 Buddeus doctrinam Stoicorum de Providentia &
 Fato discordare quam maxime. Adferamus jam
 loca ad quæ B. Vir prouocat. Prior ita sonat :
 Παντα ἀληθοὶς ἐπιπλεκόμενα καὶ ἡ συνδέσις ἑργα καὶ
 σχέδιον τι ἔδει ἀληθίου ἀλλο ἀλλω. Συγκαταβάλλεται
 γαρ καὶ συγκορμεῖ τού ἀυτὸν κοσμον. Κορμός τε γαρ
 ἐις δια ἀπαντήσαν. Θεος ἐις δια παντῶν , καὶ ὅτια μια
 καὶ

καὶ νομός ἐστιν, λόγος κοινός πάντων τῶν νοερῶν ζωῶν, καὶ ἀληθεῖα μία. Ἐπειγε καὶ τελείωτης μία τῶν ὁμογενῶν καὶ τὰ αὐτὰ λόγια μετεχοῦσιν ζωῶν. i. e. *Omnia sunt sibi invicem implexa & vinculo quodam sacro sibi invicem sic devincta, ut nihil alterum ab altero sit alienum.* Coordinantur enim simul, eundemque mundum cohonestant. Etenim & mundus unus, & Deus unus est in omnibus, & materia una, & lex una: ratio nempe animantium intelligentium omnium communis & veritas una. *Siquidem & perfectio una animantium sibi invicem congenitum ejusdemque rationis participum.* Alter locus ita sonat: Πολλαντίς ἐν θεμάτιν ἐπισυνδέσιν πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ σχεσία πρὸς ἄλληλα. Τροπον γαρ τίνα πάντα ἀλληλοις ἐπιπεπλεκεται, καὶ πάντα κατὰ τύπον φύλια ἀλληλοις ἐστι, καὶ γαρ ἀλλο ἔξις ἐστι τύπον δια τὴν τοπικὴν κοινωνίαν (alii legunt & forte rectius κοινωνίαν) καὶ συμπνοιαν καὶ τὴν ἑγωτιν τῆς φύσιας. i. e. Perpende tecum jugiter rerum omnium, quae in mundo sunt, connexionem mutuam, quamque ad se invicem affectionem habeant: sunt enim omnia quoddammodo sibi invicem implexa, atque ea ratione sibi invicem amica. Alterum enim alterius consequens est: & per connexionem localēm & per con spirationem mutuam, & per materię continuitatēm.

Priorem locum quam maximè ursit Vir Doctissimus & conjunctissimus Jacobus Brukerus singulari Epistola data ad Cl. Schelhornium communem Amicum, quæ inserta est *Amenitat. Literar. Tom. VII.* Quid mihi, occasione disputationis hujus, de citatis B. Viro, Amicoque Eruditionis laude florenti, in mentem inciderit dicam: Et primo quidem, quod ad locum priorem spectat, non adeo mihi videtur clarus atque perspicuus, ut ex eo solo fatalem illam omnium rerum necessitatem

rite probari posse putem. Sano sensu possunt omnia dici sacro vinculo connexa: Id est, voluntate divina cuncta inter se ordinata. Nemo certe dixerit, ferro & adamantino propterea vinculo omnia esse connexa, si ponatur inter omnes res hujus mundi talem esse Ordinem, ut uno posito alterum sequatur. Probandum, hanc rerum omnium conjunctionem in ipsa materiæ natura esse radicatam, neque ullam operam Caussæ primæ ejusque sapientissimi Moderamini intercessisse: postremum falsum esse, clarissimis testimoniiis probavi in Dissertatione mea & deinceps amplius demonstrabo. (2.) Conjunctionis illius ratio in eo ponitur, quod sit unus mundus; unus Deus; una materia; una lex. Num haec tandem significant, Deum cum materia vel mundo ita esse conjunctum, ut Deus prorsus nihil sine materia facere possit? Ego certe sensum illum deprehendere non possum. Post tot loca Veterum, quibus probant, Stoicos Deo potestatem mundum ordinandi concessisse, nil aliud ex citato loco concluderim, quam hoc, sive nimirum ad materiam respiciamus, sive ad mundum, sive ad Deum in mundo jugiter operantem, sive denique ad normam, juxta quam creaturæ ipsæ sensu præditæ agant; neque casum, neque cæcam fortunam locum habere, sed omnia rite inter se esse connexa, copulataque. Certe nisi aliunde jam Stoicorum sententia sit perspecta, vix ac ne vix ex hoc uno loco fatalem rerum necessitatem probaveris. (3.) In posteriori loco nullus sermo est de conjunctione mundi & Dei; sed partium mundi inter se.

At regerit Cl. Buddeus posterioris loci mentionem faciens: *Dum πάντων ἐν τῷ κόσμῳ omnium quae in mundo sunt ἐπισυνδεῖται, connexionem mutuam, adserit, non potest non eodem vinculo, seu sacro nodo Deum ipsum constringere, quippe qui pars mundi est, ut ipsam Stoici docent.* Hinc & in priori loco non tantum rerum omnium implexam & concatenatam conjunctionem seu sacram aliquem nodum adserit, sed inde quoque hoc probat, quod mundus unus in omnibus, *καὶ ἡτοι μια* essentia una sit. Quae qui paulo accutius consideraverit, facile perspiciet, Stoicos per Providentiam nihil aliud, quam necessariam omnium consecutionem a Deo isto cum rebus omnibus seu anima quadam mundi arctissimo vinculo conjuncto & omnia permeante & nihil aliud quam quod secundum Naturae ordinem necessario agere debet, efficiente, ortam intelligere, aut intelligere posse. Nemini quoque obscurum esse potest, quid Antoninus sibi velit quando dicit; *καὶ νομος εἰς τὸ λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοεցον ζωῶν.* Omnia scilicet ad Deum illum omnia permeantem & ex necessitate naturae efficientem redeunt, a quo quicquid secundum istam Naturae necessitatem peragitur, id nomine, Legis, Providentiae, & rationis nomine venit.

Respondeo (I.) Verum est mundum in sermone Stoicorum aliquando Deum & Universum denotare. At non semper: heic loci nulla Dei fit mentio. At pone mundi nomine Deum & mundum comprehendi, dicique omnium esse ἐπισυνδεῖται, num igitur probatum est; Ergo Deus cum materia necessario est conjunctus; Ergo in materiæ & naturæ Dei necessitate hæc mundi adspectabilis forma quærenda? Quid sibi tandem volunt omnia argumenta Stoicorum, quæ ex ordine Universi petuntur ad demonstrandum Entis sapientissimi

simi existentiam, si putarunt cuncta, quæ sunt, non posse non ita existere? Quid de uno mundo, lege una &c. sentiendum jam dixi. Cur ad hæc omnia, quæ in Dissertatione allata sunt, altissime filet Vir præstantissimus? (2.) Quæ de definitio-
 ne Providentiae heic a B. Viro ex mente Stoicorum dicuntur, precaria sunt atque hypothesis Auctoris nituntur. Non probandum omnia in
 mundo inter se esse connexa, quod nemo sanus in dubium revocaverit; sed omnium quæcunque existunt, & rationem modumque existendi, re-
 petenda ex ipsius materiæ indole naturaque, De-
 umque in ordine hoc mundi constituendo partes nullas habuisse, nullos fines intendisse. Hoc au-
 tem ex Scriptis Stoicorum probari posse quamma-
 xime dubito. Ut autem hoc pateat, non provoca-
 bo ad loca illa in Dissertatione mea allata, quibus ex mente Stoicorum Deus in exornando mundo fines intendisse dicitur; Sed ad alia ex ipso An-
 tonino petita, ex quibus apertissimum erit conne-
 xionem illam rerum omnium divino consilio esse factam. Ita Lib. V. Sect. 30. ait Imperator:
 Ο τας ολες τις κοινωνιος. Πεποιηκε γενν τα χειρω
 των κρειττονων ἐνεκεν. Και τα κρειττα αλληλοις συνηρ-
 μοσεν, ὅρας πως ὑπέλαξε, συνέλαξε, και το καὶ αἱ-
 αἱ αἰτενειμεν ἐκαστοις, και τα πράτισενοντα εἰς ὄμονοι-
 αι αλληλοις συνηργε. i. e. Universi NB. mens com-
 munionis mutua amans est. Itaque deteriora quævis
 præstantiorum causa fecit: præstantiora sibi invicem con-
 ciliavit. Vides ut res singulas ordine justo subdiderit,
 congesserit, pro dignitate sua suum cuique attribuerit,
 præstantissimas mutuo sibi invicem consensu devinxerit.

Lib. VIII. Sect. 20. Natura rei cujusque ratio-
 nem habet; tam ad finem quam ortum & durati-
 onem &c. Eodem libro Sect. 35. omnes facul-
 tates

tates homo a φυσει των λογικων accepisse dicitur.
 Lib. IX. Sect. 1. dicuntur homines omnes ab Universi Natura facti, ut sibi invicem prosint. Lege universum articulum : Ubi cumpromis attende, uncta dici facta juxta antiquissimum Providentiae motum. Lib. X. Sect. 5. Quid tibi contingit; ab aeterno destinatum est tibi: causarumque series sibi invicem implexarum tui ipsius subsistentiam cum casu illo ab aeterno conglomeravit. Similem in modum Arrianus Lib. I. Cap. XII. Illud est erudiri, si discas ita velle fieri omnia, ut fiunt Quomodo autem fiunt? ut astas esset & hyems, ut fertilitas & sterilitas, ut virtus & vitium, & omnes id genus repugnantiae, ut inter se universa consentirent. Unicuique nostrum etiam corpus & partes corporis, & rem familiarem & socios dedit. Hujus igitur dispositionis memores ad institutio- nem sic accedere debemus, non ut rerum naturam mutemus, (id quod nobis neque conceditur neque expedit): sed ut eo rerum nostrarum statu qui est, quique ab ipsa natura institutus est, contenti, nostrum animum iis quae sunt accommodatum habeamus. - - - an indi- naberis, & ea moleste feres quae sunt a Jove constituta? quae ille Parcis praesentibus & ortum tuum decernentibus definiit ac descripsit? Lege Caput VI. Lib. I. In quo praeclare admodum de Sapientissimi Creato- ris sapientissimo mundi regimine loquitur. Ta- ceo innumera loca quae afferri possent in hunc fi- nem. Haec certe ita comparata sunt, ut aliud per rectae interpretationis leges significare non possint, quam consilio & ratione mundi partes inter se cohæ- rere. Quod si in contrarium loca adferas, ex quibus videtur colligi, Deum non potuisse non mundum ita formare, aut Dei cum mundo arc- tius esse vinculum, quam ut Deum libere agen-

tem pronuntiare possimus; nihil aliud concludi potest, quam hoc; Stoicos nimurum neque clare & satis circumspecte locutos, neque Systematis alicujus partes omnes inter se rite coagmentasse. Atque ita mea opinione respectu Fati Stoicorum hactenus judicium est suspendendum. Facile interim patior alios hac in parte a me dissentire. Neque mirum est, in diversa abiisse modernos Eruditos circa hoc argumentum, cum ipsi Stoici sibi per omnia non constiterint. Coronidis loco adjiciam testimonium Viri Oculatissimi necum existimantis, durius quam par est Stoicorum Decreta a quibusdam representata fuisse: Is est doctissimus *Ditton*, qui egregio libello de veritate Resurrectionis Christi ita pronuntiat pag. 382: *Ce n'est pas que quelques anciens philosophes n'ayent reconnu comme nous cette Providence bonne & sage qui preside à tout ce qui se fait sur la terre. Salluste la fait en particulier d'une maniere tres forte & tres systematique. Mais qui nous peut surprendre c'est qu'un Stoicien l'a fait aussi, & que M. Antonin ne se soit pas exprimé d'une façon moins précise.* Il est vrai que ce Prince eut extremement du mérite; mais enfin ce qu'il dit de la Providence ne s'accorde pas trop avec les sentiments de la Scèle, si tant est, que ces sentiments ayent été ce que l'on en croit d'ordinaire. Il se pourroit bien: qu'on nous les ait infidèlement exposer, & je ne saurois dissimuler qu'à mon avis on doit les avoir mal compris sur bien de choses & particulièrement sur la part que Dieu prend aux affaires humaines. On n'a qu'à comparer ce qu'en ont dit Epictete, Seneque, & M. Antonin, & l'on verra qu'ils crurent une Providence divine.

T A N T U M.

Nomothesia
Ecclesiæ Christianæ
ex certis Principiis
Deducta & moderate vindicata.

Auctore

GRAT. SALOMONE MYRTETO - MONTANO.

PRÆFATIO.

Superiori anno Lucem vidit Idea Nomothesia Ecclesiastica, Systematis Hierarchici Fundamentis innixa, contraque Hypotheses Crisn Puffendorfii, Pfaffii, Bæhmeri, aliorumque modeste, ut Titulus habet, asserta. Thæma hoc in Ecclesia Christiana gravissimi momenti est: Ut si se habet Nomothesia, talis est Ecclesia & ejus Regimen. Quocirca omni, qua licet, ratione contendendum, ut Nomothesia Ecclesiæ Christianæ certis & divinis innitatur Fundamentis; rescindantur quæ his adversantur; pure Ecclesiastica Libertati relinquuntur. Singulariter æstimamus primam Ideam, quam Dissertationis Auctor tradidit, scil: TALEM ESSE DEBERE, QUALEM IPSE SERVATOR IN SACRIS LITTERIS RELIQUIT. O quantum bonum! Quantum commodum! Si hæc Idea

in Ecclesia Christiana dominaretur ! Contentiones, bella, quæ nunc grassantur eamque perdunt, minuerentur & tandem cessarent ; subsequeretur Status Ecclesiæ Christianæ pacificus, saltem tolerans, Idea hac prævalente. Reliqui Characteres Nomothesiæ Christianæ ad hunc fundamentalem, radicalem ; generalem ita essent instituendi, conformandi, corrigendi, ut nihil contineant, quod huic adversaretur, eumque lacerderet, quin prorsus inter se conspirarent, hunc promoverent, & ad singulares usus referrent. Æquissimum, ut Doctrina Filii Dei, Servatoris nostri, primum & dominanti habeat locum. Iniquum vero, si Homines, si Reges, si Ministri Ecclesiæ, quicunque illi, quicquam statuunt, quod Doctrinæ Christi contrariatur. Talis Ecclesia non esset *Regnum Dei*, *Regnum Cælorum*, sed *Regnum Hominum*, *Regnum Terrestre*, quod vero animam Nomothesiæ Christianæ tolleret. Imperator terrestris solus in Regno suo imperat, Leges fert : Non concedit, ut sint Coimperatores, Conlegislatores. Ministri ejus, etiam summi, Legibus Imperii subjecti vivunt, pro Legibus Imperii stant, certant, &, si opus, explicationem petunt a solo Imperatore. Annon hæc Gloria sarta tecta que esse debet Regi Ecclesiæ, qui mox terram relicturus Ecclesiæ militanti Imperium suum universale, divinum, Potestatem Legislatoriæ sibi soli reservatam cum Pro-

promissione Præsentia & Auxilii sui usque ad finem mundi proposuit, intimavitque: *Mibi data est omnis Potestas in Cælo & in Terra.* Usurus hac Potestate in Terra addit: *Proficiamini igitur, Discipulos facite omnes Gentes - - - Docete illos servare omnia, qua vobis præcepi;* Et ecce! Ego vobiscum per omnes dies usque ad consummationem Seculorum. Verba hæc præscindunt omnia cogitata de absentia Christi Regis ab Ecclesia militante; de necessitate aliis Capitis visibilis substituendi; de auctoritate Petri & multo magis Successorum cum potestate Leges ferendi; de præminentia cujusdam Apostoli, cui reliqui vel futuri Pastores subjecti esse debeant. Si talia ex Voluntate Domini nostri Jesu Christi in Regno suo obtinere deberent, maxima opportunitas, imo tantum non necessitas fuisse monendi hac occasione, qua terram reliquit, qua de Regimine Ecclesiæ militantis voluntatem suam ultimam revelavit.

Publicata prædicta Dissertatione, Providentia Numinis excitatus sum ad hanc *Nomothesiā Ecclesiæ Christianæ* conscribendam, optans, sperans, exspectans ædificationem. Quantum per vires licuit, contendis solidis eam probare argumentis, ac, ubi opus, moderate vindicare, missis convitiis adversus contrasenientes. Vivimus ea tempora, quibus Stylus mordax Sacra ac Religiones, earumque Professores calumniose traducens magis & ma-

gis

gis in contemptum abit, nec quempiam movet, nisi cœcos assectatores, Veritatis ignaros, non avidos.

Scriptum hoc circumstantiis poscentibus partitiū publicandum. Prima Parte tradetur Præstantia hujus Thematis; Dein status mentis legitimus eorum, qui Nomothesiam hanc indagare, explorare, probare volunt. Quare omne Partium Studium longe abesse debet. In testimonium Æquitatis probabuntur, improbabuntur quædam, quæ ab Auctore *Ideæ Nomothesiae Ecclesiastica Systematis Hierarchici Fundamentis innixa* probata & improbata, vel alia, quantum licet, commoda distinctione mitigabuntur. Parte secunda Nomothesiæ Christianæ Principia incerta, falsa proterentur & refutabuntur. Parte tercia Principium certum & verum, tum in Genere, tum in Specie indicabitur & adstruetur. Sed quarta *Ἐπίλεγοις* feretur de Statutis Ecclesiæ veræ Nomothesiæ contrariis vel non contrariis, eorumque Usu, cum Spe ingentis boni in Ecclesiam Christianam redundaturi.

Sectio Prima

Nomothesiæ Ecclesiæ Christianæ.

I.

Nomothesiæ Ecclesiæ Christianæ est Thema
gravissimi momenti.

Nam nulla Societas absque Legibus & ea-
rum observations consistere potest. So-
cietas, in qua nullæ Leges, vel si Leges
impune violentur, ac unusquisque agit, quod sibi
videtur, officia erga proximum negligit, laedit; Ne-
mo tutus est in ejusmodi Societate. Miserrima erant
tempora in Israële, in quibus *nullus Rex*. Videatur
Hist. Judicum C. XVII. 6. XIX. 25. In illa vero
Societate tuto & feliciter vivitur, quæ innititur
sapientibus, justis, æquis & salutaribus Legibus:
quæ Sociis publicantur & curate observandæ in-
junguntur: quarum violatio a Capite convenien-
ter Legibus punitur. Quo sanctior & amplior So-
cietas, tanto magis ejus edicta sunt servanda. So-
cietas Ecclesiæ Dei si non communi consensu,
saltem plurimorum, imo omnium verorum Chri-
stianorum, alias quasvis longe superat, & per to-
tam terram diffusa est. Necesse est naturam ejus
nosse, Legislatorem, ejus Leges venerari & præ-
fare, morigeros tueri, in transgressores animad-
vertere. Crimen est Leges ignorare, majus neg-
ligere, violare, maximum Auctoritatem Legisla-
toris non venerari, Conlegislatores ad latus ejus
ponere, ab his in rebus Religionis simpliciter de-
pendere. Ipsa quoque Oeconomia Mosaica lucu-
lenter probat. Tum dominata erat *Theocratis*.

Angelus

Angelus Jehova Leges dederat, auxerat, exposuerat, violatas gravissime vindicaverat. Moses, summus licet Minister, nullas Leges dederat, in casibus rarissimis, dubiis Os Legislatoris consuluerat, ab eo dependebat, nihil pro propria definiverat auctoritate Lev. XXIV. 13. 14. Num. XXVII. 5. Mose defuncto Pontifex casus Reipublicæ Deo decidendos proposuerat, acceperatque per Urim & Tummim divinas Decisiones Num. XXVII. 21. Synedrium, cuius Potestas sub. V. Testamento magna erat, cum toto Populo Legibus divinis quidquam addendi aut adimendi nullam habuerat copiam: *Quicquid ego vobis precipo, id observabitis, ut faciatis: Non addes ei, non adimes de eo.* Deut. XII. 32. vel XIII. 1. In Ecclesia N. Testamenti, quæ singulariter audit Regnum Dei, Apostoli, summi Ministri Domini Jesu Christi, sancte sibi caverant a dominio in gregem Dei, nihil auctoritate propria addiderant Doctrinæ Christi vel ademerant. Si quis addet (*Verbis Prophetiae hujus Libri*) Deus addet ei Plagas scriptas in Libro hoc. Et si quis adimet a *Verbis Libri hujus Prophetiae*, Deus adimet Portionem ejus a Libro Vitæ Apoc. XXII. 18, 19. Apostolus Paulus severe scribit: *Si nos vel Angelus ex Cælo evangelizaret vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, Anathema sit Gal. I. 8.* Non ausus eram quidquam loqui præter ea, quæ Christus per me effecrat Rom. XV. 18. Non mirum. Rex terrestris minime tolerat Con-Regem vel etiam Vicarium, quem non ipse constituit, vel qui propria auctoritate Leges fert, qui Subditos simpliciter sibi subiectos reddit. Quanto minus Rex Cœlestis, Regum Rex, æmulus Gloriæ suæ a Patre solus Dominus declaratus Act. II. 36. ab Ecclesia quoque agnitus.

Jehova

*Jehova Judex noster. Jehova Legislator noster. Jehova
Rex noster. Hic salvabit nos. Jes. XXXIII. 22.
Ipse de se prædicat: MIHI data est omnis Potestas
in Cælo & Terra. Docete servare omnia, quæ vobis
præcepi Matth. XXVIII. 18, 19.*

§. II.

Quare Thæma hoc tractandum in Timore
Dei, cum omni solicitudine, absque Stu-
dio Partium, Affectibus Iræ & Amoris
particularis, juxta certa Principia.

Est enim gravissimi momenti. Agitur de Do-
minio Jesu Christi, auctoritate Ejus Legislatoria,
expositoria, decisoria & vindicatoria in Ecclesia
Christiana. An hæc solius Dei Filii sint? An
etiam alii potestatem habeant Leges cum auctori-
tate ferendi, exponendi, Controversias Fidei de-
cidendi, in contumaces animadvertisendi? & qui-
nam illi? Quam gravis hæc Quæstio vel disce a
minori ad majus. Quæstionem talem move, dis-
cute, coram Rege terrestri throno suo insidente,
præpotente. An feret disquisitionem contra Jus
& Statutum suum, pro proprio Subditorum arbit-
rio, ex Studio Partium? Certe non. Si ullibi
valet, hac in Quæstione valet, Deus gratiōse
afficit רְחֵל trepidantem ad Verbum divinum Jes.
LXVI. 2. ut ex animo vereatur nihil asserere,
quod Verbo Divino adversatur; Asserere tantum
quod cum eo convenit. Quum contra Facies Dei
terribilis stet contra audaces, Dominium Ecclesiæ
dividentes Filium Dei inter & Homines, ejus Do-
minium restringentes ad Ecclesiam triumphantem,
horum extendentes ad Ecclesiam militantem ob-
fictum defectum Præsentiae omnipræsentis Domini
ni

ni Matth. XXVIII. 20. Est ergo tractandum in timore Dei. Idcirco *cum omni Sollicitudine*, quæ possibilis est, ut Quæstio tanti momenti ex Voluntate summi & unici Domini, Filii Dei, cognoscatur, decidatur. Intentio poscitur pura, unice veritatem spectans, & quærens precibus, scrutinio Scripturæ, rationes pensitando, cum Fratribus in Christo colloquendo. Placet Συζήτησις Hierosolymitana Act. XV. Unica Quæstio: *An Salus speranda absque Circumcisione in controversiam vocabatur.* Quid tum factum? An auctoritate unius Episcopi vel etiam Apostoli, aut Petri decisa est? Minime. Nuntii mittebantur Hierosolymam ad APOSTOLOS ET SENIORES. Nuntii recipiebantur ab Ecclesia, Apostolis & Senioribus v. 4, 5. Status Controversiæ pro & contra proponebatur v. 4, 5. Tum Caussa cognosciebatur ab Apostolis & Senioribus v. 6. Petrus primus suffragium suum generale dederat, sed absque Auctoritate Pontificiali, provocans ad experientiam in Via Dei cum Gentibus conversis v. 7. - 12. Tum addebat Sermo Pauli & Barnabæ confirmans Petri suffragium. Postea Jacobus dederat Suffragium ex sacris confirmatum v. 13. - 19. idque speciale 19, 20. in quo omnes ὑποδεύματα acchieverant, Apostoli, Seniores cum tota Ecclesia v. 22, 23. Quod unanime conclusum etiam Spiritui S. adscriptum erat v. 28. Quando vero Quæstio movetur de tota Normativiæ Ecclesiæ Christianæ, maxima adhibenda est Sollicitudo. Controversia a Partibus libere propoundeda, Argumentis, ut controvertentes utile jadicant, adstruenda, sed proponenda non uni, Petro veluti, sed omnibus Apostolis sive Doctoribus,

ribus, saltem qui adsunt, omnibus Senioribus, imo omnibus Fratribus. Momentis Controversiae auditis instituitur examen, Petro vel qui præsidet, facile primas partes in Examine damus, sed ad argumentandum, non cum Auctoritate decidendum. Reliquis omnibus libertas est loquendi, examinandi, probandi. Libere loquatur Jacobus, Sententiam suam probet ex Scriptura, formet Conclusum, quod tamen non Auctorativum sit, sed Demonstrativum ad Conscientiam, ob Loca Scripturæ & Experientiam, ut reliqui libere consentiant, ut Acta vere sequentem in modum claudere queant: Tōte ἔδοξε, Tum visum est Apostolis & Senioribus cum tota Ecclesia v. 22. & 25. Visum est Spiritui S. & nobis. Tractandum est.

Tertio absque Studio Partium vel Sectæ, cui quis ita addictus est, ut vel juramento coactus non aliter profiteri aut docere valeat, quam hæc publice statuit, vel ex aliis caussis rationale examen instituere pertinaciter aversatur v. g. Ego Christi tres erant Partes vel Sectæ in Ecclesia Judaica; Pharisaica, Sadducæa, Essena. Qui absque ratione Placitis Sectæ suæ tenaciter adhæret, nihil libere examinat, aliorum Dogmata simpliciter rejicit, dicitque: Mea Pars vel Secta sola pro Veritate, Pietate, Cultu &c. stat. Aliæ omnes Heterodoxæ, Hæreticæ sunt. Hodie, ut notum, Christianismus in plures Partes divisus est; In Partem Catholicam, Lutheranam, Reformatam. Plures, maxime Clerici, juramento atque etiam gravissimis Pœnis Ecclesiasticis ligati sunt ad non aliter profundendum, docendum, quam quod Pars, cui addicti sunt, vult, statuit. Qui vel in minimo alter loquitur, in majori periculo est, quam si Sce-

lus aliquod enorme patrasset. Quis non videt? imo quis non palpat, ejusmodi Studia Partium omnem ad Veritates indagandas præcludere aditum? Sectas inter Christianos magis & magis indurari, immortales fieri, Thesin ejusmodi Ecclesiæ nihil habere quo se commendet ad Conscientiam? Rebus suis majori Providentia consulunt Mundani, Mercatores. Si enim horum quis Aurum, Argentum possidet genuinum, liberum relinquit Judicium cujuscunque Religionis Mercatori, etiam Judæo, Turcæ, Indo. Omnes in Mercatura paululum exercitati in eodem Sensu convenient. Si qui non convenient, a reliquis irridarentur, ceu Metalli probi ignari, vel habentur malæ Fidei Seductores.

Studioſi Partium inepti sunt ad Veritates ingenue scrutandum. Quare huic Parti addictus est? Non vult, non audet a Placitis Partis suæ recedere. Talis ne quidem dignus videtur, ut cum illo Sermo de Veritatibus Evangelii instituatur. Vel quare Sermonem instituerem? Firmiter statuit Parti suæ adhærere, non libere & coram Deo alios audire, imo gravi juramento se obstrinxit ad non aliter loquendum, profitendum. Cui usui Συζήτησις? Juravit, se non aliter docere velle. Juravit, se contrariam Thesin vere examinare nolle, se eam in æternum rejicere velle. Relinquatur talis obstinatus Pertinaciæ suæ. Certissimum est, talem Deum, Verbum, Lumen Conscientiæ non revereri, haud esse sollicitum de Nomothetis Christiana cognoscenda. Sollicitus tantum est de Nomothetis, quam Pars sua statuit, tenaciter tenenda. Vere avidus Veritatis nullam Partem in Rebus Religionis humanam curat.

Amicus

Amicus est Plato; Amicus est Aristoteles, sed magis Amica Veritas. Amicus Superintendens; Amicus Antistes, sed magis Amica Veritas in Sacris, quæ se ad Conscientiam commendat. Sed dices: *Vide, ne erres.* Sapienter mones. Monne quoque te ipsum. Ideo ego Studia Partium evito. Si hos cœcus sequor, tunc in summo Periculo Seductionis versor. *Multi Pseudoprophe-tæ in Mundum intrarunt.* I. Joh. IV. 1. Spem quoque habeo Deum veritatis non daturum efficiaciam Errori, si animo integro Veritatem quæ-ro II. Thess. II. 10, 11, 12. Providum Numen instruxit Aurum, Argentum, characteribus essentialibus ad discernendum a scoriis vel auro, argento, adulterino. An Veritas Evangelica non etiam instructa Characteribus suis? An Veritas mendacio vel errori adeo similis est, ut adhibita opera discerni nequeat? Minime. Quantum discrimen inter Lucem & Tenebras, tantum Veritatem inter & Errorem. Vide Johannem passim in prima, quam reliquit, Epistola. Solus cœcus, & qui tegmen oculis Mentis imponit, non videt. Unde tractandum

Quarto absque Affectionibus Iræ & particularis Amoris. Convenit cum antecedente Requisito. Pars communiter cœca amat Partem suam. Cœca quoque odio habet Partes alias. Ex Amore cœce æstimat vel saltem metuit Theses Theologicas, quas propria Pars venditat: contra statim rejicit vel certe suspectas habet, si non Animo, saltem Ore, quas aliæ proponunt. Commune & verissimum Dictum est: *Affectus impedire, quo minus verum cernere queamus.* Id, quod in genere verum est de Affectionibus appetentibus & aversan-

tibus, speciatim Amore & Odio. Hic effuse
amat P. Benedictum; Alter Lutherum; Tertius Cal-
vinum. Unicuique verissima, optima videntur
publicata vel ab illo, vel ab isto, vel ab hoc.
Quare? Nominis Amor, Æstimatio vel Metus.
Vice versa. Suspecta, Heterodoxa, Hæretica
alia omnia sunt. Quare? An legisti, audivisti,
perpendisti? Non, Nequidem licet audire, lege-
re, perpendere! Quæ ergo Ratio? Auctor est
exosus. Est Catholicus; Est Lutheranus; Est
Reformatus. At sapiens & avidus non quærerit:
Quis concionatus fuerit? Quis Librum scrip-
tit? sed Quid? An conveniat cum Evangelio? An
se commendet ad Conscientiam? An ædificet in
Fide? Hic, quisquis sit, amandus, æstimandus.
Fides ei habenda. Non amo, non æstimo, nec
etiam odio habeo aut rejicio Personam in se consi-
deratam, sed propter Doctrinam, Mores, Cul-
tum. Probo quam maxime cogitata Rhenferdii,
Professoris Franequerani Celeberrimi in Præfatione
præmissa Annotationibus in V. Test. & in Epist. ad
Ephesios; scil. Libros esse publicandos absque No-
mine Auctoris, Loco, Censura, Approbatione,
si quosdam excipis Casus. Tum præscinduntur
Affectus, Amor, Odium. Perplacuit, quod re-
fert Venerandus Antonius, Professor olim Hallensis,
qui, ceu Praeco Itinerarius cum quodam Principe
Saxonæ in Hispaniam profectus erat, atque ad-
missus ad Bibliothecam Regiam perlustrandam.
Tum quæsiverat ex Bibliothecario: Quinam inter-
tot Libros sit præstantissimus? Bibliothecarius
porrexit Arndtii Verum Christianismum, des Arndtis
wahres Christenthum, sed Titulo & Fine carentem.
Scil. pia Fraus obtinet in Hispania, Protestantes
vol.

vel occulti Veritatis Evangelicæ Amatores, qui ibi Iter faciunt, aut Regnum inhabitant trepidant. que ob. *S. Officium Inquisitionis*, studio Libros bonos Capite & Fine privant, quo Auctores eorum Protestantes ignorentur. Ex tali numero erat *Liber Arndii* dictus, qui mox Hæreticus habitus, vel etiam combustus esset, si Auctor cognitus fuisset Minister Evangelii Protestans.

Quare simpliciter mittendæ sunt omnes Auctoritates humanae in inquirenda tanti momenti Quæstione de *Nomothesia Ecclesiæ Christianæ*. Sapientissime & verissime Doctor Cœlestis: *Quomodo vos potefis credere Gloriam a vobis invicem accipientes, & Gloriam, quæ a solo Deo, non queritis Joh. V. 44.* Exemplum prostat Joh. XII. 42, 43.

Quod inferius ex professo tractandum, hic digo tantum ostendo, cum Auctoritate humana haud consistere posse Nomothesiam Christianam. Auctoritas humana vel est Politica, vel est Ecclesiastica. Si Auctoritas humana Principium est Nomothesiæ Christianæ, sequitur Principium haud esse Auctoritatē Dei in sacris loquentis; quæ vero, quod inferius probandum, revera est. Si Auctoritas Paterna, Politica, Ecclesiastica Principium Nomothesiæ Christianæ est, tum quisque Pater, quodlibet Regimen Politicum, quælibet Ecclesia cum Auctoritate mandaret, ut Liberi, Subditi, Membra Ecclesiæ crederent, profiterentur, Deum colerent, prouti mandatur. Ita tot essent Nomothesiæ Ecclesiæ, quot Parentes, aut quot Magistratus, aut quot Ecclesiæ. Quam Auctoritatem habet hic Pater, hic Magistratus, hæc Ecclesia, habent quoque alii Parentes, alii Magistratus, aliae Ecclesiæ. Vel quare non? Fortsan di-

ces: Nonnisi Pater, Magistratus, Ecclesia vere fidelis hanc Auctoritatem habet. Bene. Sed convince prius omnes alios Parentes, Magistratus, Ecclesias, vel coge, ut libere fateantur, se vere fideles non esse; sed ut dixi de Auctoritate humana in Nomothesia Christiana inferius ex professo.

§. III.

Antequam vero progredior ad Principia Nomothesiz Christianæ incerta, fassa destruenda, adstruendum vero verum: AUCTORI MEMORATÆ DISSERTATIONIS publicum præibo exemplum me studia Partium hoc in Themate evitare probando, improbando quædam controversa, quæ ipse probat, improbatque. Alia, quantum licet, commoda explicatione mitigabo.

Non ex iis sum, qui toti in eo sunt, ut in Parte adversa nonnisi Errores querant, fingant. Plus quam lyncei scèpius Errorem, ubi nullus est, vident. Quantum hinc malum! Affectus carnales, Lites, Dissidia excitantur, aluntur, promoventur. Præstantius longe est vera, bona cœu vera, bona habere, facit ad Amicitiam, Pacem inter Fratres, quæ excellens Bonum est. Laudo illos, qui, quantum absque Veritatis dispendio fieri licet, cuncta in meliorem Sensum interpretantur. Amor & λογιστας καινον. I. Cor. XIII. 5. Talem animum puto quoque esse testandum erga illos, qui extra Ecclesiam nostram sunt. Veritas in Dissentiente laudanda est. Haud video consultum esse, majus Disodium & Inimicitiam sine Causa intendere. Quin optandum, ut, quando Unio non est speranda, attamen Animi a tanta acerbitate

tate remitterent, & attentiori mente Argumenta
pro & contra perpenderent.

§. IV.

Omnium primo cum Auctore improbamus notam quorundam Politorum Regulam:
CUJUS EST REGIO, EJUS EST RELI-
GIO. Probatum danda Cæsari, quæ Cæ-
saris. Sed & Deo, quæ Dei. Summis
Magistratibus ex Conscientia subjecti su-
mus, usque ad Aras, non contra eas.

Regula enim hæc e Diametro adversatur Scripturæ, speciatim N. Testamento, Conscientiis, Naturæ Rei, Securitati, Paci, Religionibus quibusvis, Regibus ipsis.

Adversatur Scripturæ: maxime Evangelio. Illi:
Deus semper a Populo suo postulavit, ut, ubi-
cunque vivant, non aliena tenerent Religionem,
quam Divinam. Constat ex Decalogo, funda-
mento Fœderis cum Deo Exod. XX. I. *Ego sum*
Jehova Deus tuus. Vel an Deus dedit Decalogum,
ut observaretur nonnisi in Deserto, vel tantum in
Canaan, quoad Israël subjectus Regibus propriis fide-
libus? Certe non. Notabilis est Locus Jer. X. II.
Judæis deportandis in Babyloniam sequens daba-
tur Monitum: *Sic dicetis (in Babylonia): Dii,*
qui Cælum & Terram non condiderunt, pereant de
Terra, & de his, quæ sub Cælo. Et quod notan-
dum, hoc solum Comma dabatur Lingua Chal-
daica. Ille ipse Prophetæ, qui Nomine Dei Ju-
dæis præceperat, ut peterent Babyloniam, gra-
vissime eosdem dehortatus erat a Religione Regis
Babylonie. Hinc Populus Dei gravissimas dede-
rat

rat Peñas, relinquendo Religionem Divinam, profitendo Religionem ex Placitis Regum. Exemplum notorium in X. Tribubus Israël Deum colentibus ex præcepto Jeroboami, ob caussas Politicas propriam Religionem formantis. Jeroboamus hic inter Politicos princeps erat statuens: *Cujus est Regio, ejus est Religio.* Quæ vero Regula X. Tribubus horrenda Judicia attulerat. *Huic.* Præsuppono mihi rem esse cum Christianis, Iesum Christum summum & unicum Doctorem Ecclesiæ Christianæ agnoscentibus, honorantibus, Evangelium ejus immediate & mediate prædictatum esse vera Fide obsignandum. Hoc præsupposito fortissime sequitur: Assertum est falsissimum. *Cujus est Regio, ejus est Religio.* Eequomodo Mandatum dedisset de Evangelio in toto Orbe anhūtiando qui tum variis Principibus subjectus erat? Ecquomodo Apostoli in omnem Terram exire poterant Evangelium Christi prædicantes? Immorigeri suissent Magistratibus. Merito igitur ejecti, carceribus inclusi, occisi.

Christus pro omnibus, non Judæis solum, sed & Gentibus mortuus est. Pro omnibus Apoc. V. 9. 1. Tim. II. 4, 6. Si pro omnibus mortuus, tum etiam omnibus Gratia parta est annuntianda. Nam Præconium Evangelii est ordinarium Medium Fidei ad Salutem. Filius Dei constitutus est Dominus & Rex omnium Potestatum, hinc etiam Regnorum, Rerumpublicarum Eph. I. 21. Si hoc Assertum verum, uti verum, sequitur quod Divinum sit Jus mittendi Servos per omnia Regna Mundi, quod non sit Religio, *cujus est Regio.*

Adversatur Conscientiis. Conscientia est Lumen Divinum, docens credenda & agenda. Accusans,

Si quis credit, vivit, contra ea quæ dictat, possit, improbat, hinc Accusationes intra se sentit: Si vero credit, vivit, juxta Conscientiam, sentit intra se Excusationes, Approbationes. Talis Conscientia datur, vel non datur. At datur Röm. II. 15. Si vero datur, credendum, vivendum juxta Lumen Conscientiæ, vel non. Posterius dici nequit: Nec dicet nisi Atheus vel Machiavellista. Ergo dicendum prius. Si prius valet, tum *non Religio est ejus, cuius est Regio.* Credendum enim & vivendum religiose juxta Lumen Conscientiæ. Id quod clarissimum. Dominus Regionis enim præcipit credendum & vivendum juxta Placitum suum; Solem, Lunam, Astra esse Deos; his Cultum &c. præstandum; Liberos esse Diis ad combustionem consecrandos, & quæ tot alia absurdæ, impia reperta sunt penes Dominos Regionis. Historia sacra abunde talia tradit Exempla. Quis dicet hæc esse credenda, Vita & Cultu exprimenda, quæ contra Lumen, Motum, Mortuum Conscientiæ? Certe non aliud, quam Atheus vel illi simillimus.

Adversatur Naturæ Rei. Religio enim non potest cogi. E. non cogenda. Frustra ergo cogit Princeps Subditos ad Religionem Regionis. Historia abunde docet, quot & quanti Imperatores, Reges, Principes omni modo sub Præmiis, Pœnis, Tormentis, Copiis militaribus contenderint dissentientes ad Provincialem Religionem amplectendam; veram Christianam, quam animo probaverant, abnegandam adducere. Poterant quidem Corpus dilacerare, comburere, bonis privare, in Exilium mittere, ad Triremes, Metalla damnare, sed non poterant Religionem extorquere.

quere. Sed dices: *Longe plurimi Vi coactiva mutati ac tandem aliam Religionem amplexi sunt.* R. Professi quidem sunt Religionem, sed impellente metu. Professio Fidei absque Fide Cordis non constituit Religionem; Hypocrisis est Rom. X: 9, 10. Experientia docuit, illos ipsos mox etiam Professionem negasse, retraxisse, aut Fuga in liberam Regionem confugisse & Libertatem Religionis quæsivisse, vel etiam morti proximos confessos fuisse, se nunquam animo credidisse Religionem, quam ore profiteri cogebantur. Id quod etiam a Clericis in eminentia constitutis sœpenumero factum. Qualis hæc Religio? Hypocritica, Deo abominabilis. Ejusmodi Professores Religionis sunt Pestes Ecclesiæ & Reipublicæ.

Adversatur Securitati, Paci. Si enim Subditi coguntur ad Religionem, maxime sub gravi Pœna, Securitate & Pace, quæ fidis Subditis relinqua est, destituentur; In metu, angore, turba vivere coguntur. Dices: *Possent sibi consulere Religionem Provincialem amplectendo.* R. Non possunt. Inciderent in majorem Metum, Angorem. Tum enim accusarentur a Conscientia, Divino Accusatore, Tortore, eoque constante, æterno E. male: Consilium hoc male datum. Si Religio in Regno non est libera, tum naturaliter fit, ut excitentur, alantur Inimicitiae, Contentiones, Metus, Pugnæ. Conscientiosi stant pro sua, quam animus dictat, Religione. Alii contrastant, oppugnant primo Verbis, postea Verberibus.

Adversatur Religionibus quibusvis. Certum est plures & diversas dari Religiones. Quævis Pars suam præfert, veram habet, non permittit, ut propria

pria prostituatur, multo minus cum auctoritate, ac nova injungatur. Ethnicus ait: *Religio mea vera.* Turca hoc ipsum affirmat. Affirmat Judæus, Reformatus, Lutheranus, Catholicus. Quid nunc agendum? Vera preferenda, reliqui Vi cogendi, ut ad veram accedant? Imprudentissime! Quævis enim Religio clamat: *Mea vera est.* Hac igitur ratione quævis Vi coactiva reliquas eo trahere posset, ut ad se accederent. Quantum Malum in Orbe? Nemo securus. Omnes in Periculo. Religio contra Religionem haberet Jus insurgendi, dominandi in Conscientias, dissentientes puniendi. Sed instabis: *Hoc Jus unice penes veram est, non reliquas.* Stulte! Annon audis unquamque clamare: *Mea vera est.* Ex tua Hypothesi colligit quævis Religio sibi esse jus cogendi. Prudens igitur cuique Religionem liberam relinquit, Ipse magis & magis scrutatur Veritates & Præcepta. Hinc stabilitur in Religione. Data occasione amice, modeste, rationaliter agit cum dissentiente, proponit ei Fundamenta Religionis suæ, ostendit quoque quam incerta, inania, falsa sint contrariæ Religionis. Si hic annuit. Bene. Sin minus periculo suo gaudeat Libertate Conscientiæ. Forsan sequetur tempus, quo Veritatem, quam nunc improbat, Luce Conscientiæ lucente, probaturus sit.

Atque hic erat Modus Evangelicus, quem Apostoli tenuerunt in prædicanda Religione Christiana. Longe absuerat Vis coactiva. Oves, Arietes non insurrexerant adversus Lupos, Leones, Ursos, sed Doctrinam Cœlestem, quam acceperant, inter Judæos, Samaritanos & Gentiles in plurimas Sectas disjectos prædicaverant, &

ad misericordiam

Opérae credentes in Gremium Ecclesiæ receperant Act. II. 41. Spiritus Christi, qui in iis, qui que Mansuetudinis, Amoris, Patientiæ, Sapientiæ est, de Vi coactiva inferenda non cogitaverat, quin cogitaverat de Pace, Securitate omnibus relinquenda, testanda I. Tim. II. 2.

Adversatur Regibus ipsis. Regum est Munus gravissimum (quale veneramur) quod Providentia Numinis acceperunt, gerere, prospicere ut Regnum sit florentissimum; ut Subditi securi, in Pace, sine Periculo, Damno vivant, ac Imperantibus Obsequium fide præstent. Muneris Regii haud est imperare in Conscientias, ut quod etiam impossibile est, uti plures sapientissimi Imperatores confessi sunt; hoc ipsum in causa esse, quominus Conscientiosi, optimi adeoque Subditi, in ejusmodi Regno vivant. Tales enim vel non intrant, vel exulant. Si Subditorum Religio premitur, non possunt non tale Gravamen summo Domino, Filio Dei ad medendum proponere, urgere. Quales Quarelæ in sinum Dei effusæ Regibus Terræ pergraves sunt: Tyrannide Religionis minuitur quoque Amor Subditorum erga Reges Terræ.

Dices: *Regum est pro Religione, quam profiteruntur, servere, eam defendere & pro Viribus propagare.*
R. Bene. Sed quæro: An quorumdam? An omnium? Si omnium, concedendum est, ut Rex Ethnicus, Turca, Christianus, Catholicus, Protestans Religionem Ethnicam, Turcicam, Christianam, Catholicam, Protestantem pro viribus propaget. Quænam illæ Vires? Copiæ militares, Gladius, Brachium Carnale. Sed qualis hæc Religio? Non Divina, Cœlestis, sed humana?

mana, carnalis. An ille, qui sedet ad Dextram Dei super omnes Principatus &c. Sibi & Regno suo Brachio divino consulere nequit? Certe vallet Jes. LIX. 16. Talis Religio pro Principio haberet non Evangelium Pacis, sed Doctrinam Belli ad omnium Hominum, qui certam Religionem non profitentur, periuicem Luc. IX. 56. Si vero dicas: *Jus hoc non nisi stat penes Reges, qui profitentur veram Religionem.* R^e. Annon etiam reliqui sunt Reges? Annon etiam reliqui Religiones, quas profitentur, quasque & illi veras, divinas habent, pro viribus propagabunt? Annon Vi Vim repellent? Vel an opinaris reliquos Reges Copiis suis mandaturos, ut Regi, quem tu veneraris ceu legitimum Defensorem & Propagatorem Fidei tæ, manus vietas dent, & pro lubitu Vi coactiva, terribili quoque, ad Castra vestra obtorto collo rapiantur? Profecto non. Si tu opinaris Regem Hispaniæ hoc Jus habere, Rex Sueciæ non dubitat, quin idem habeat. Miro dari Homines rationales, qui hanc Consequentiam viderentur nolint.

Exulet ergo Regula varie falsa & exitiosa: *Cujus est Regio, ejus est Religio.* Dominetur Christi vere aurea & pacifica: *Date Cæsari, quæ Cæsar; & Deo, quæ Dei.* Sed exulet universaliter, non particulariter. Non in Regionibus Protestantium tantum, sed etiam Catholicorum. Non penes Reges Terræ solum, sed & ac maxime penes Episcopos, Pontificem. Si Pontifex Jura sua & Jurisdictionem armis tuetur, quod *Auct. Dissert.* non negare potest pag. 15. quis improbare potest Gladium Magistratus Politici circa sacra? Admodum hebes Gladius Petri, quem a Paulo comodavit,

modavit, quo memoratus *Auctor Arma Pontificis carnalia defendere vult*, dicit: Ille ob Gladium suum reprehensus a Domino; Hic vero Gladio usus erat infidelis, Apostolus factus scribit: *Arma Militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo.* II. Cor. X. 4.

§. V.

Probamus secundo Verba Auctoris, quæ exstant pag. 58. Habis hic, Lector Candide! Ideam nostram de Nomothesia Ecclesiastica, Ideam, qualem Ipse Servator in Sacris Litteris reliquit. Adeo probamus hanc Ideam, ut inferius eam generalem fundamentalemque adstructuri & daturi simus. Quare alia hic non addo.

§. VI.

Probamus tertio Verba Auctoris pag. 5. **SALUS ECCLESIASTICA SUPREMA LEX ESTO.** Una omnium Vox est ICTORUM & Theologorum. Quænam illa? Pietas & Actionum Christiano dignarum Honestas, quæ Concordia & Unione Animorum alitur ac fovetur, per LL. Ecclesiasticas præscribitur, excollitur, perficitur ad Finem supernaturalem asequendum; sive ut brevius rem exprimam: **Salus Ecclesiastica efflorescit e duobus: VERA CREDENDO, RECTA AGENDO.**

Verba hæc, quæ probamus, accipimus Sensu Sano, ut illa jacent, non ut possent ad hunc vel illum detorqueri. Sub Pietate comprehendimus veram Fidem, sine qua Pietas consistere nequit. Hic Sensus tanto magis valet, quia statim additur; **Salutem Ecclesiasticam efflorescere: Vera credendo.**

dendo. Leges vero Ecclesiasticas exponimus de Legibus, quæ in Sacris sive explicite sive implicite continentur.

§. VII.

Probamus quarto cum Auctore: *In Ecclesia dari Ordinem imperantium & parentum p. 7.* Improbamus cum eodem in Ecclesia Autonomicam Libertatem seu Facultatem quidlibet impune sentiendi credendique p. 24. Commoda tamen addita Explicatione. Imperantes non sunt, qui Auctoritate Ecclesiae, ut Domini Fidei, imperant, ac armis carnalibus ad Consensum & Obsequium cogunt. De his nihil in Evangelio. Sed qui in Nomine Iesu Christi secundum Doctrinam Evangelicam caussas Ecclesiae cognoscunt, decidunt, his parentum est Hebr. XIII. 17. Immortigeros, infideles recte ex Ecclesia ejiciunt I. Cor. V. 13 tales Ethnicos, Publicanos habent Matth. XVIII 18. Certus sit Auctor Dissertat. quod, ubi obtinet in Ecclesia nostra Anarchia, Libertinismus, Deismus, Contemnus Ministerii, Verbi & Sacramentorum, ut re vera penes plurimos obtinet (quod cum innumeris aliis tristis publice fateor) hæc non arcessenda sint a principiis Religionis protestantis. Malumus tamen patienter ferre, quæ mutari nequeunt. *Arma militie nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei.* scil. ὑπουργὸν sub onere, quod justa Numinis providentia nobis imposuit, gemitus, preces, publica e suggestibus nostris protestatio adversus tot mala intestina, quæ graviora videntur malis, quæ ab iis, qui extra Ecclesiam nostram sunt, inferuntur, ac spes adventus Domini nostri cum gladio oris sui juxta verbum propheticum. Certissimum,

simum, quod Hierarchia Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, potestate externa illustris, imo terribilis appareat. Nihilominus publica existant documenta, quod plurimæ, variæ, graves lites circa Sacra in ea sint; Reges, Principes obsequium, quod postulatur, non præstent; ipsi ordines & Theologi inter se graviter contendant; etiam jurisconsulti catholici plurimas theses, quas Canonistæ defendunt, infringant. Non puto opus esse, ut hæc exemplis probentur. Ipse Auctōr *Dissert.* hæc plenissime novit & subinde in Dissertationibus conqueritur. Ex experientia adeoque habet, quod formidabilis *Hierarchia* licentiam, contentiones in propria Ecclesia compescere haud valeat. Quæ ergo ratio, quod tantopere exagitet principia potestatis spiritualis in Ecclesia protestante, tanquam autonomicam licentiam, anarchiam?

§. VIII.

Probamus quinto propositum ac spem excitatem thema hoc resecta omni verborum asperitate tractandi, ut pag. 6. Adnitendum nobis est ante cætera ut resecta omni verborum asperitate in ipso quaestionis crinomeno conveniamus, ne, dum disceptamus, ad Orientem alter, alter ad Occidentem feramur. Modeste agamus primo de re ipsa; postea de vocabulis. Optima verba! Unica via, quæ aditum facilem dat ad veritatem scrutandam. Asperitas, irrisiones, cachinni, scommata penes ingenuas mentes nihil valent, quam quod illas alienas constituant. Optarem quam maxime, ut propositum hoc illæsum servatum fuisset. Tanto magis, quod res Auctori cum politicis, ingenii Thomasianis, quæ cachinnando vix ab ullo vincuntur, sint. Nolo citare,

citare, quæ hujus generis plura in *Dissert.* memoria prostant. Unicum memorabo & ipsi Auctori dijudicandum relinquo, num omnem verborum asperitatem resecuerit. Scil. pag. 22, 23. examen instituitur de Phrasí regere ecclesiam Dei Act. XX. 28. Protestantes recte observant Lucam exprimere per τοιπαλιν pascere, quod Vulgatus vertit per regere. Facilis sum & non abnuo pascere notionem regendi continere. Modo Regimen non explicetur per absolutum durum Dominium in Conscientiam. Auctor vero preſte insiſtit Allegoriam Pastoris. Non existimem illum præter Officium Pastoris agere, si in his Circumstantiis, quas antea notavit, Jus gladii sibi competere judicet, aut fuste trinodi dentes excutiat, Cerebrum illidat, exuvias & pellem detrahbat Belluae rapaci. Hæc omnino referenda sunt ad Pastorem Ecclesiæ & ejus regimen circa oves spirituales: Nam nulla quæſtio est de pastoribus ovium naturalium ratione carentium ac de modo tractandi Belluas rapaces. An vero asperius quid excogitari potest, quam pastori tribuere talem potestateſ agendi contra disentientes, vel, ut communiter floſculi ſonant, Hæreticos, ſi qui in cauſa religionis verba facerent cum Catholiciſ. Annon ingens diſcriſmen inter pastorem, gregem, oves naturales; & pastorem, gregem, & oves spirituales? An ergo ille agendi modus obtinet in posteriori caſu, qui in priori? Quantopere Spiritus Christi diſfentit? Jacobus & Joannes fervidi erant contra Samaritanos, non tamen pugnatui contra illos armis carnalibus, ſed cœleſtibus. Domine! An vis, dicamus, ut ignis descendat ex Cælo & consumat Samaritanos? Mansuetus Dominus intrepavit illos, dixitque: Filius Hominis non venit ad

Tom. II.

Q

per

perdendum animas, sed ad servandum. Luc. IX: 54 - 57. Et quid tum, si truculentus Pastor Ecclesiæ Romanæ ita gregem suum defendere vult? Annon idem jus Pastori Ecclesiæ protestantis? Quod uni iustum, alteri æquum. Certe Pastor protestans manus in sinu suo non abscondet. Et quid inde? An Regnum Dei?

§. IX.

Auctior admodum conqueritur ob duo Impunitata juris Canonici; ambitionem & quæstum Cleri. Hinc citat: *Ex duplice fonte avaritia & ambitione effusum est mysterium iniquitatis per universam Ecclesiam, indeque factum, ut lex suprema ecclesiastica, salute vera Ecclesiæ conculcata, unice in eo quereretur, quidquid ad augendum [Cleri] imperium & quæstum sacrum ficeret.* pag. 2. conf. pag. 15. In eo probabamus querelam Auctoris; *Durum esse & iniquum* vitia civium refundere in civitatem & singulorum errata in universos, crimina Clericorum detorquere in canones, perinde ac si isti ad quæstum, avaritiam, monopolium forent compositi p. cit. Profecto si hæc argumentandi ratio valeret, actum de *ἐνθυμίᾳ* Ecclesiæ protestantis. Quot avari, superbi, impriosi Episcopi, Consiliarii ecclesiastici, Superintendentes, Pastores in hac Ecclesia reperiuntur? Ad apicem horum scelerum surrecturi, nisi impedirentur, præprimis a brachio seculari. In hoc vero versatur status controversiae: An hæc & alia vitia ex natura canonum libere fluant? si canones talia improbant, rejiciunt, damnant; si postulant ab Ecclesia, ejusque præfectis ut animadvertant in violatores; si præcipiunt cultum, preces, sacramentorum administrationes, promoto-

motiones ecclesiasticas, omnes actus sacros, absque ære, bona conscientia ad salutem Ecclesiae, nullum vitium in ejusmodi canones redundant. Sin minus, juste accusantur. Ejusmodi enim canones contrariantur Evangelio Christi & Apostolorum. Canonum hostes, qui probant Pontifices, Episcopos, Clericos promotiones ecclesiasticas, pallia, dispensationes multo ære vendere, dominatum in conscientias contra Evangelium exercere, actus communes, liberos in monopolia convertere, non possunt mendacii, injustitiae, affectuum carnalium accusari. Fateor tamen, si talia in Ecclesia protestante vere graffantur, etiam vitiosa recte haberi, imo magis: Ecclesia protestans enim alios canones non veneratur, quam Evangelicos, turpi lucro & ambitioni adversos.

§. X.

Alia, quæ AUCTOR in memorata Dissertatione habet, improbatque, commoda distinctione & explicazione videntur facile mitigari, si non prorsus tolli.

§. XI.

Auctor ægerrime fert Ecclesiam sibi sub Collegio ex Doctoribus & Auditoribus conflato. Præfert σχέσιν Domus, Civitatis, Regni, ceu quæ parabolæ docent Hierarchicam subordinationem, cum Domus nulla sine Patrefamilias, Civitas sine Magistratu, Regnum sine Rege & Lege consistere omnino possit. Vide p. 7. & 27. Miror σχέσιν collegialem tantopere Auctori sudem in oculis esse, ceu quæ non minus involvit Hierarchicam subordinationem sano sensu ac relatio Domini, Civitatis & Regni. Fundata quoque est σχέσις collegialis in Scriptura. Toties

ties Deus, Filius Dei sicut Rector Academiæ cœlestis, Professores Ministri, Leges divina statuta, fideles auditores genuini sub spe benedictæ institutionis: sed mali sub interminatione pœnarum spiritualium, exclusionis ex collegio, tamen absque armis externis, carnalibus, coactivis vid. Prov. VIII. IX. Matth. XI. 25. - - 28. Joh. VI. 45. II. Tim. I. 13, 14. II. 2. III. 5. - - fin. Hæc & similia, qui amant σχέσιν collegialem, haud negabunt: Æstimant vero eam, ut clarius doceant illos, qui ecclesiam constituunt, posci avidos veritatum divinarum, qui ipsi inquirant, scrutentur, probent, quæ se ad conscientiam demonstrant, non vero cogantur ea probare, profiteri, quæ alii cum auctoritate & gravi externa pœna postulant & tantum non modo terribili extorquent, quod Inquisitores quotidie agunt. Alias Collegium illos, qui leges fundamentales negligunt, contemnunt, violent, non impunitos dimittit. Ejicit ex Collegio & pro membris non habet. Cœterum abstinet a privatione bonorum, incarceratione, numellis, combustione, & aliis suppliciis. Contumaces non quidem tolerat in Collegio, sed tamen eos vivere sinit in statu politico & communi.

Parabolæ vero *Domus*, *Civitas*, *Regnum*, quas Auctor præfert, juxta Scripturam expositæ hoc ipsum docent, scil. Ecclesia *Domus* est, sed spiritualis, divina I. Tim. III. 15. Dominus & Pater isque unicus est Deus Christus Matth. XXIII. 9. Hebr. III. 6. Famuli sunt Doctores, Pastores, Episcopi Hebr. III. 5. II. Cor. IV. 5. Liberi sunt fideles, Ecclesia est Civitas, sed spiritualis, cœlestis Gal. IV. 26. non politica, terrestris: Consul vel Magistratus est Christus, unicum Ecclesiæ suæ

suæ caput Eph. I. 22. Leges sunt dogmata , quæ reliquit Matth. XXVIII. 19. 20. Ministri Ecclesiæ non sunt Domini Ecclesiæ , sunt Servi tantum. Non habent potestatem proprias leges rendi Rom. XV. 18. I. Cor. I. 24. sed nonnisi leges summi Magistratus proponendi , urgendi , ad conscientiam demonstrandi II. Cor. IV. 2. infideles non admittendi vel excludendi , sed non auctoritate humana cogendi , pecunia , libertate , vel vita privandi. Ecclesia quoque est *Regnum* , quod probamus , sed *Regnum Dei* , *Cælorum*. Rex est Filius Dei , isque solus. Ministri ejus non sunt Reges , vel Conreges , aut Vicarii ; sed Ministri , quorum est regno servire , non leges dare , multo minus cum auctoritate externa , politica , coactiva , sub poena carceris , gladii vel rogi.

§. XII.

Idem *Auctor* singulariter servet pro Jurisdictione sacra , cuius nitor & robur in poenitentia canonica vide p. 42. Unde ibi ait : *Certe jurisdictione sacra sine poenitentia canonica languet , ac sine nervo est ; Immo si quidquam aliud , poenæ sceleribus inflictæ vel maxime & conservant & reparant Ecclesiæ nitorem.* At inter nos non est quæstio , num Ecclesia immorigeros , infideles plectere debeat. Quod omnino non solum conceditur , sed & probatur. Ipse Pfaffius , quem *Auctor* loco cit. allegat , scribit Excommunicationem , si recte administratur , cœtum ecclesiasticum nitori suo plurimum restituere posse. Quæstio tantum est de natura poeniarum. An poenæ sint infligendæ modo regni humani terrestris , brachio seculari coactivo , privando bonis , incarcerando , relegando , vita privando , comburendo. Hoc

est quod negamus. Hæc pœnas non sunt *Regni Dei, Cœlorum.* Ethnici, Turcæ tales pœnas infligunt, societas suas conservaturi, propagaturi, in peccantes animadversuri, de quibus in Jurisdictione sacra Evangelica ne γενι quidem. Non convenit cum natura *Regni Dei & Cœlorum.* Sine dubio regna hæc distinctissima; opposita etiam alias & alias pœnas infligunt. Si *Regnum Dei, Cœlorum* infert pœnas, quas *Regnum Hominum, Terræ,* ecquod discriminem? Ecclesia Dei punit immorigeros, conservat, defendit se iis armis, quibus Ecclesia Turcica. Annon vergit in contumeliam? Non est discriminem inter regnum Dei & hominum, cœtuum infidelium. Apostoli & primi Christiani pœnas ecclesiasticas intulerunt, sed nulla vi externa, coactiva per Magistratum, brachium seculare, opibus, domicilio, vita privando. Nonnisi in nomine & potentia Jesu Christi, armis spiritualibus, reprehendendo, excommunicando, Satanæ tradendo. Omnis hæc potestas in terris exercita in Cœlo habebatur rata. Hæc vero erat spiritualis & honos Ecclesiæ, regni Dei. Si vero regnum Dei non alium nitorem, robur habet, quam regnum Turcæ, Ethnici, quam vile hoc? An dignum ut Regnum Dei & Cœlorum audiat?

Cœterum facile concedo in corrupto hodierno Christianismo longe plurimos infideles dari, qui excommunicationem & alias pœnas ex instituto Christi contemnunt & prorsus nullo habent loco. Causa est infidelitas. Metuunt nonnisi visibilia, corporalia, terrestria damna, exclusionem ex ecclesia externa ob contumeliam. Spiritualia, Cœlestia, Divina non agnoscent. Quare non mirum

tum metuere tales magis jurisdictionem Prætoris rustici, quam Filii Dei & exclusionem ex Regno Cœlorum. Fideles aliter credunt, metuunt Reges Terræ, sed comparate hos non metuunt, docente ipso Rége nostro Matth. X. 28. Vel errat *Auctor Dissert.* vel ego, quando putat Ecclesiæ nitorem restitui, si restituuntur pœnæ canonicæ. Firmiter judico restitutis clavibus Regni Celorum, potestate spirituali gloriam & potentiam Ecclesiæ Christianæ longe illustriorem, terribiliorem futuram, quam si omnes Reges & Principes in toto orbe gladios, copias militares ad nutum Ecclesiæ prompte sisterent. Dies docebit. Quantum discriben inter Regem cœlestem, Filium Dei & inter Reges terrestres!

§. XIII.

Auctor noster valde improbat Schismaticorum græcorum spiritum, qui, ut refert Wietrowski, cum jam obsidione premeretur Constantinopolis a Mahometo II dixisse feruntur : MELIUS SIBI FUTURUM SUB CIDARI TURCARUM QUAM TIARA PONTIFICIS. pag. 11. Recte quidem Græcus reprehenderetur, si religionem præférret religioni christianæ absolute consideratæ. At res longe aliter se habet. Mavult *sub Cidari Turcarum vivere, quam Tiara Pontificis.* Prudentissime. Imperator Turcicus concedit Christiano Græco liberum Religionis exercitium, quod Pontifex negat, ceu qui vi externa, carnali, coactiva, modo brachium seculare ad manus sit, ad abnegationem fidei, morsum conscientiæ, torquet. Miror reprehendi Christianos Græcos, quod tamen ipsi Catholici probant. Vel annon Missionarii malunt vivere

sub imperio Ethnicorum, idololatrico, veluti in imperio Chinensi, quam sub Magistratu Christiano Protestante, qui sub gravi pœna negat exercitium Religionis Catholicæ liberum. Videat ergo Auct. *Dissert.* quam molesta sit jurisdictio Ecclesiæ Romanæ, ut Christianus Græcus magno jure præferat *Cidarim Imperatoris Turcici*, quam *Tiaram Pontificis*.

§. XIV.


Ultimum, quod hac in Sectione noto, concernit judicium Auctoris nostri de splendore jurisdictionis Ecclesiæ sub Constantino his verbis: *Quanto melius disseret Auctor noster* (quem refutat) *si diceret, nullo unquam tempore splendidius se exeruisse auctoritatem, jurisdictionem, hierarchicam potestatem ecclesiæ orthodoxæ*, quam sub Constantino Magno. p. 17. quod opponit judicio Antagonistæ sui adducentis exempla status Ecclesiæ corrupti, præcipue ex quo religio se in aulas Imperatorum insinuaret. *Maxime Constantini tempore.* Antagonista hic minime negat splendorem, divitias Ecclesiæ Christianæ, jurisdictionem & potestatem Episcoporum a tempore Constantini. Sed quæritur: Annon hoc splendore, potestate, Ecclesia cum Episcopis magis & magis corrupta fuerit? Salus Ecclesiæ consistit in internis, spiritualibus, fide, pietate, humilitate, patientia, precibus, brachio spirituali; non vero in externis, pompa, divitiis, jurisdictione & potestate humana, brachio seculari. Historia ecclesiastica abunde probabit, num status Ecclesiæ ante Constantinum priori sensu florentior, sanior. Num a Constantino & postea. *Venum ferendum est judicium, non apparens.* Ille Eccle-

Ecclesiæ status præferendus , qui Deo maxime placet. Vel scire licet ex Israële , qui impinguatus vulgo recalcitravit contra Deum Deut. XXXII. 15. Quare ipsi Catholici tantopere laudant votum paupertatis. Clerici mendicantes induunt humilem vestem ? Sine dubio quasdam habent rationes. Existimant paupertatem , humilitatem , Ecclesiam Christianam plus ornare , quam dvitias & dignitates , imo has ceu Christianis periculosas , si non noxias esse.

Locus Constantini ultimus in Synodo Nicæna & verba ejus , quæ Auctor ex Rufino allegat ; Deus vos constituit Sacerdotes , & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi , vos vero non potestis ab hominibus judicari , si alias vera , nimiam testantur humilitatem & adulationem Imperatoris Christiani. Non spirant Spiritum Christi , Ecclesiæ Christianæ. Potestas Ecclesiæ Christianæ spiritualis est , & communis omnibus ordinibus , ex quibus constat , ut suo loco probabimus.

T A N T U M.





1. Scala quatuor Pedum Tg.
2.

3.

4.

Ratio interpretandi
INSCRIPTIONEM
ANTIQUAM
TURICI forte repartam

Ad mentem Viri Clarissimi

JO. CASPARI HAGENBUCHII

Ling. Lat. & Græc. Prof.

Qum superioribus his æstivis mensibus in complanandis Tilieti (Lindenhof) ambulacris occupati essent fossores arenarii, operas curante ac dirigente Viro Spectatissimo JO. HENR. WERTMILLERO, necopini incident in Saxa quædam grandiora varii artificii & diversæ ætatis, haud procul ab invicem q. tumultuarie projecta. Hæc inter rudera Lapidem nostrum tergum obvertentem conspicati, nil magni sibi de rudi hac, ut videbatur, mole promittere audent; revolutum vero in faciem non mutum esse Lapidem, sed diserto titulo ornatum & nescio quæ ænigmata loquentem stupent: (Pars enim adversa, quæ Titulum Sepulcrum habet incisum prona sub terra jacebat, qui Situs conservandis litteris haud parum profuit.) Fit ad novum isthoc Spectaculum magnus hominum concursus, sed deest hæc tenus Oedipus, qui Ἀογίδα hæc expeditat: donec rumore excitatus advolat

advolat Vir Clarissimus & moris antiqui peritissimus HAGENBUCHIUS noster, qui qua est in hoc literarum genere perspicacia, Lepide eruditis suis oculis paulo attentius inspecto, ejus Inscriptiōnē confessim expedite legit & interpretatur, atque etiam docet, hunc Titulum Sepulcralem, egregium Romanæ Antiquitatis monumentum, & verum Urbis nostræ nomen, & memoriam Stationis Quadragesimæ Galliarum, quæ sub Imp. Rom. in hac Urbe fuerit, conservare. Lapidis formam Titulumque Typus cum Prototypo accurate compositus exhibet. Ipse vero Vir Clariss. ut suæ Interpretationi fidem faceret, prolixa & multa eruditionis antiquariæ copia referta ad GORIUM suum Epistola hoc argumentum illustravit atque infinitis prope ex doctrina epigraphica exemplis ita communivit ac confirmatum dedit, ut de interpretationis veritate & ipsius monumenti excellentia ac dignitate, nemo amplius vel tantillum possit ambigere. Et quanquam hæc Epistola illi Epistolarum epigraphicarum volumini, quod forte sub ipsum hoc tempus in publicam lucem exire gestiebat, augendo sit destinata, eam tamen seorsim sub hujusmodi titulo extare voluit: JO. GASP. HAGENBUCHII ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΟΛΟΓΙΟΝ Turicense, sive Inscriptio antiqua, ex qua TURICI sub Imp. Rom. STATIONEM Quadragesimæ Galliarum fuisse primum innotescit, Commentario illustrata. Turici. Sumtibus Heideggeri & Socc. MDCCXXXVII. 4. pl. 18 $\frac{1}{2}$. Nos ex luculenta hac Commentatione summa tantum capita, quæ proxime ad hujus Tituli sepulcralis interpretationem facere videntur, excerpemus; atque etiam sub Cl. Viri persona, ejusdemque, quantum fieri

fieri potest, verbis, rem omnem carptim expli-
cabimus, in quo tamen si forte præter Viri Clari-
ssimi mentem quædam nobis excidant, quæ
minus recte fuerimus assecuti, ea nobis, non illi,
imputari volumus. Cœterum si qui sint ex Lec-
toribus nostris, qui plura scire cupiant, eos ad
ipsum Clariss. HAGENBUCHII Librum ablega-
mus, ubi invenient, quo sitim possint ubertim
restinguere.

Vers. 1. & 2. D. M. HIC SITUS EST] For-
mulæ sepulcrales tritissimæ Diis Manibus. & HIC
SITUS EST. Rarius tamen ambæ, vel ita con-
tinuo positæ, in Titulorum Sepulcralium initiis
occurrunt. Posterior autem hæc formula HIC.
SITUS. EST. ita usu invaluit, ut frequenter Sig-
lis H. S. E. tantum notata in Inscriptionibus an-
tiquis obvia sit. Plinius Lib. VI. ep. X. & Lib.
IX. ep. XIX. hos duo Virginii Rufi Sepulcro in-
scriptos versiculos memorat:

*HIC SITUS EST Rufus, pulsò qui Vindice quondam
Imperium adseruit, non sibi, sed Patriæ.*

V. 3. LAEL.] Saxy voces omnes sine distinc-
tionibus continuantur & cohærent. Legendum
autem heic non conjunctim LAELius, sed divi-
sim Lucius AELius certum est ex statu Patris li-
bertino; diserte enim V. 5. VNIO AVGusti LI-
Bertus dicitur. Filius autem de more Patris gente
est censitus: Pater Augusti libertus itidem de more
gentem Augusti Patroni sui est secutus. At nemo
Augustorum ex Lælia gente fuit. Fuisse autem ex
Aelia plures, Historia Imperatorum Rom. testa-
tum facit.

VRBI.

VRBICVS] Cognomen notissimum, quod in ipsa etiam Aelia gente atque alibi legitur: Exempla compluria studiose conquisita in unum contulit Genebrierius in *Dissertatione de Magnia Urbica*. Quadratarius spatio exclusus S minusculum intra V arctatum inferuit.

V. 4. VIXIT] Ligatio duarum Literarum I & T frequens est Saxis antiquis: quæ mox idem valet ac IT, ut hic. Vel etiam TI, vel ITI, vel TIT.

AN] Ligatae & hic sunt duæ Literæ A & N, quas AN hic legendas, alibi NA notare, pluribus doceri posset.

V. 5. AN. VNO. M. V. D. V.] h. e. ANno VNO, Mensibus quinque, Diebus V. sive etiam ANno VNO, Menses quinque, Dies quinque. Scaliger Ind. XIX. voc. *Casus mutatio* sive *Antiptosis*. Vixit annos tot, mensibus tot: aut contra, annis tot, menses tot, creberimum in titulis monumentorum, ut MXXXV. 10.

AN. VNO] Potuisset Quadratarius, si voluisse, integrum nomen numerale cardinale VNO compendiascere, quo omisso AN suffecisset: In titulis enim Infantium intra himatum morte raptorum pro *Anno uno*, vel *Annum unum*, ἀπλῶς *Anno*, vel *Annum* sc̄openumero reperies, dignusque est Fabrettus, qui de hac *incorrupta Latinitatis formula*, ut vocat, legatur p. 550. tot. & p. 592. b. D. In D. Jacobi Epist. IV. 13. Ἐνιαυτὸν ἑταῖρα, at Actor. XVIII. 11. Ἐνιαυτὸν καὶ μῆνας

legimus. Ita non rarus est exemplorum numerus, in quibus post ANNum vel ANno suffigitur aut numeri nota I, aut integra vox VNVM vel VNO. In Saxo nostro ultimum O superne intra N inclusum est forma minuscula: unde in mentem mihi quoque venit, annon legi possit ANNis V. NumerO. Scilicet in Siglis interdum vocum tantum litteram initialem & ultimam, seu casus terminationem, invenimus incisam: unde & διπλωματίας Κυρίων & Καιρῶν in D. Pauli ep. ad Rom. XII. 11. ortam volunt.

V. 6. VNIO] Nomen hoc Pater Lucii Vrbici habuit, quum adhuc servitutem serviret. Pertrum nomen non est VNIO: unus tantum in vasto Gruteri opere occurrit, quanquam Servos a gemmis nomina repetiisse pervulgatum sit. At postea manumissus VNIO, eo pro Cognomine est usus, ut Liberti solebant Prænomine & Nomen gentilitio Patroni accepto, nomen, quo uno Servi erant dicti, tertii nominis seu Cognominis loco habere.

VNIO AVG. LIB.] Libertos, præsertim Augustorum, sœpius spreta postuma sui fama, & nominibus servilibus contentos se atque Augustos suos nobis obscuros reliquisse, observat Fabretus pag. 247. a. G. At in hoc Saxo ex tribus Filii nominibus obscurum haud est, AElium VNIONem dictum, AElii cuiusdam Augusti Libertum fuisse. Neque repugno, si quis patrem *Lucium AElium Vnionem* dictum velit; quanquam patribus & filiis eadem semper fuisse prænomina, non concedam. In antiquis Saxis plurimi AElii AVGusto-

rum

rum LIBerti: quem vero singuli Augustum AEliæ gentis habuerint Patronum, non facile possumus existimare, ubi alia documenta non adiunt. Ex Imperatoribus Rom. Hadrianus primus AEliæ gentis fuit, cui pater Ael. Hadrianus cognomen-to Afer fuerat. Hic sibi adoptavit primo L. AElium Verum Cæfarem, nunquam Augustum: deinde vero post hujus excessum T. AElium Antoninum Pium, cui hanc conditionem addidit, ut ipse nepotem L. AElium Aurelium Verum cum M. Aurelio Antonino Philosopho adoptaret, qui primi pariter Augusti cœperunt Remp. regere. Post hos imperium obtinuit Marci filius L. Aelius Aurelius Commodus. Hi secundo post C. N. seculo Imperium Rom. tenuerunt. Accedit, quod ipsa Saxi nostri literarum forma bonitatem & usum secundi Seculi referat. Ego suspicione quadam ductus ad tempora L. Aelii Veri, M. Aurelii in imperio Collegæ Saxum Turicense referrem.

V. 7. P. P.] In monumentis veteribus hæ Siglæ diversis significatibus sc̄epe occurrunt. Sed duo P. P. Officiis Domus Augustæ præfixæ, quin Præpositum istiusmodi officio significant, dubitari nequit; invicte inducto magno exemplorum numero id a Clariss. Hagenbuchio comprobatum est.

P. P. STA. TVRICEN. XL. G.] interpres tor: *Præpositus ST'Ationis TVRICENSIS quadragesimæ Galliarum.* De Quadragesimis Reinesius ad Rupertum: Erat *Quadragesima portorium, quod præter instrumenta itineris omnes res Publicano debeant.*
Scil.

Scil. vectigal mercium, ita dictum, quod unum in singula XXXX, seu ut vulgo loquimur $2\frac{1}{2}$. per Cent, fisco Imperatoris solvebatur: Ejus meminerunt *Quintil. Declam.* XXXV. 6. *Sueton. Vesp.* c. I. & *Synachus L. V. ep.* LXII. & LXV, qui solvi suo adhuc tempore consueuisse testatur. Græce istiusmodi Quadragesimarius diceretur τετρακοσολόγιος, τετρακοσώτης, ὁ τὰς τετρακοσίας ἀπαιτῶν. In vasto Gruteri opere ne quidem ulla Quadragesimæ mentio appetet, Apud Reinegium Synt. Iuscript. IX. 36. p. 563. occurrit QVIN-TIO AVG. LIB. TABVLARIVS XXXX GAL-LIAR. Apud Mur. 893. 8. JVCVNDVS AVG. LIB. ACTOR. XXXX. GAL. Jam olim Au-gustum Imp. in suas pariter & in Populi R. pro-vincias non modo ἐν τῷν Ιππέων, equestris ordi-nis Viros; sed etiam ἐν τῷν Απελευθέρων, Liber-tos, mississe Ἐπιτρόπους, Procuratores, Dio memo-riæ prodidit Lib. LIII. p. 506. C. Consulen-dus autem in hanc rem in primis P. Burmannus in Dissertatione de Vectigalibus P. R. curis secundis illustrata, qui Cap. V. p. 64. seqq. de Quadra-gesima mercium luculenter disputavit. Officia, quæ isti mercium vectigali administrando & ex-ercendo operam suam nayarunt, ordine enumera-re, nemo facile poterit; Quantum in tantis antiquitatum tenebris cernere datur, Procu-ratores XXXX Provinciarum uni alicui Romæ curationem & magisterium fisci quadragesimalis obtinenti paruerint. Sub Procuratoribus in Pro-vinciis fuerint Praepositi, sub se habuerint Tabu-larios & Actores, hique Servos seu Ministros vi-liores eidem negotio quadragesimali intentos, in eoque operam suam locantes.

STA] Vir Clariss. P. Burmannus: Plurimæ Stationes habuit Fiscus, quæ erant diversæ mansiones, in quibus officia fiscalia erant constituta, sere similes, quas in Gallia Bureaux vocant. Unde tot fuere Stationes fisci, quot genera vectigalium & tributorum. &c.

STA. TVRICEN.] Ex omnibus Saxis antiquis, quorum pauca sunt quæ XXXX Galliarum referunt, unum modo *Stationis* XXXX Galliarum memoriam conservavit, ante erutum *Saxum Turicense*: Quod vero hoc nostrum magis etiam commendat, *Stationis* quoque locum designat, ita ut dilucide appareat, hanc *Stationem* XXXX Galliarum olim Turici fuisse, & ab hoc oppido nomen *Turicensis* habuisse. Habuit igitur Fiscus Imp. Röm. Turici suam *Stationem* seu mansio- nem, in qua officium fiscale quadragesimæ Galliarum erat constitutum. Ab hisce Fisci *Stationibus* diversæ erant *Stationes* militum, per opportuna loca dispositæ, ita tamen, ut olim adjuncti quoque fuerint milites, qui publicanis in exigen- dis pecuniis opem ferrent & contra vim ac frau- des mercatorum adessent. Docuit hoc antiquita- tis fide Burmannus de *Vectigal.* P. R. p. 145. Et existimo *Stationi* *Turicensi* XXXX Galliarum quosdam Legionis XI & XXI, quarum memo- ria in Saxis antiquis haud procul *Vindonissa* eru- tis restat, milites præsidio fuisse. Hanc conjecturam ex eo potissimum duco, quod paucis passibus ab lapide nostro aberant, eadem die & postridie eruti lateres cocti, in quibus hæ duæ Legiones, LEG. XI. CL. P. F. & LEG. XXI (illa literis extantibus, hæc incisis,) leguntur; forma

forma & literis simillimi eorum, quos abhinc annos XXIII in agro Turicensium Clotano inventos Bibliotheca nostra civica adservat, quibus & Turicenses fraterculi, una cum Fibula antiqui operis cum iisdem inventa, ut & numi quidam Imp. Rom. (*) cum argentei tum ærei, sunt additi: quin & ipse Titulus sepulcralis L. AELII Vrbici in aditu Templi ad aquas juxta Trajani Columnam Miliariam collocatus ac depositus est. Mirum autem non est Turicum nostrum huic negotio fiscalis agitando quondam sub Imp. Rom. commodissimum visum esse. Quomodo hoc oppidum postea Seculo IX seu Carolinorum tempore Camera Imperialis celebrari coepit, notum est ex Rescripto Ludovici Pii Aquisgrani edito XV Martii VIII anno Imperii, datoque Gotzeberto Abbatи S. Galli: de quo conf. Guillim. de R. Helv. III. cap. V. p. 346. In urbe Turici Stationem quadragesimæ Galliarum instituere placuit

R 2

Roma

(*) Hi numi ex Clariss. Viri J. JAC. GESNERI indicio sunt: 1.) argenteus CAESAR AVGVSTVS DIVI F. P. P. Caput Augusti laureatum, C. L. CAESARES (Augusti F. Cos. Desig. Princ.) JVVENT. Duæ figuræ togatae clypeis assistentes cum hastis puris, lituo & eapeduncula. Vide Mediobarbi Num. Imp. R. p. 39. & 57.

2.) ærei.

{ IMP. DIVI F. P. P. Capita adversa Agrippæ & Cæsaris, Col. NEM. Crocodilus palmæ alligatus cum duabus corollis.

Vide Mediobarb. I. c. p. 56. 3.) L. AELIVS CAESAR capite nudo: TR. POT. COS. II. S. C. Spei typus, mulier stans veste sublevans. Mediob. p. 189. Ipse vero Celeberrimus Hagenbuchius affirmat plures adhuc sequioris quoque ætatis, immo etiam medii ævi bracteatos nonnullos esse eritos, quos autem omnes, quum satis noti sint, nihilque causam suam juvarent, consulto prætermiserit.

Romanis ob loci & lacus Turicensis opportunitatem, de qua Stumpfius Annal. Lib. VI. Cap. XI. Die Gelegenheit der Stadt Zürich mag verstanden werden aus dem fruchtbaren lieblichen Gelände, welches an Wein, Korn und allen guten Früchten einen Ueberfluß hat: Ja es giebt solches auch zu erkennen der liebliche schiffreiche Fluß Lindmat und darob der schöne See, der sich bey 28000 Italischer Passus oder Schritten hinauf gegen dem Gebürge erstrecket, und mit einer so angenehmen Landschafft gleichsam eingefasset und geziert ist, daß sie sich völlig einem fruchtbaren Lustgarten vergleicht. Durch dieses Thalgeländ der Stadt Zürich und über den See hinauf geht die allerbrauchbarste Land-Strasse von den Tribocis und Rauracis, d. i. Straßburger - Elsasser - und Basler - Landschafft zu den Rhaetiern und fürtter über das Alpgebürge in Italiam. Auch mögen auf dieser Strasse alle Kauffmannsgüter, so aus Italien gebracht werden, bey 50000 Schritten ob Zürich, nemlich am obersten Portgeländ des Wahlensees, bey dem Städtlein Wahlenstatt eingelegt, und in Schiffen auf dem Wasser bis gen Zürich, auch fürtter auf der Lindmatt und dem Rhein hinab bis an das teutsche Meer, ja bis in Britanniam oder Engelland gefertiget werden. Has autem in lacu Turicensi advectiones subvectionesque, inde per fluvium Lintæ & lacum Wallenstadiensem, hinc per fluvium Limagi seu Lintmat, quem Arola ad Helvetiæ Confluentes (Coblenz) in Rhenum defert, adjuvabant duæ ab Romanis munitæ viæ expos.

exportationi & invectioni commodissimæ, quas ad Summitatem lacus Wallenstadiensis alteram, alteram supra Helvetiæ Coblenz Vir longe Celeberr. J. JAC. SCHEUCHZERUS primus obser-vavit *Itiner. Alpin.* p. 160.

C. Jul. Cæsar iter per *summas Alpes* (Penninas, hodie Montem S. Bernhardi majorem) quo mag-no cum periculo, magnisque portoriis mercato-res ire consueverant, patefieri volebat: de *Bell. Gall. Lib. III.* Hoc patefacto itineri postea Ro-manii multum usi sunt, a Mediolano per *Alpes Penninas Magontiacum*, ut est in Antonini Itinerario: hacque venientes per loca Helvetiæ maxime oc-cidua tantum iverunt. Alterum Romanorum iter ex Italia per Alpes Ræticas communissimum Cu-riam Rætorum, indeque ad lacum Brigantinum adeoque & in Helvetiam ducebat. Alpes Penni-nas inter & Ræticas notissimum hodie iter est ex Italia per montem Gotthardum in Helvetiam: hoc vero Romanis jam apertum fuisse tritumque, nu-gæ sunt maximæ: neque credunt, nisi quibus *Alpes summae Cæsaris* non Penninæ fuisse pessime videntur. Missæ per Ræticas Alpes merces, item quæ ex Pannoniis, Norico, & Vindelicia Galliæ Belgicæ importabantur, non ab lacu Brigantino per Rheni decursum ad Rauracos devehebantur, sed per lacum Turicensem, quod hæc itineris ratio erat erat tum propior, quia interior: tum tutior, quia trans Rhenum, Imperii Rom. limi-tatem, objacebant Helvetiæ Germani, hostes Hel-vetiorum Romanorumque. Antiqua etiam Rom. Itineraria ab Arbore Felice ad Rauracos minime per Ripam Rheni ducunt, sed per loca Helvetiæ medi-

mediterranea, ad Fines, Vitodurum, Vindonisa-

Sam.

Quid si dicam, hanc Stationem fuisse Turicæ in vico, qui Tilieto subjacens ad sinistram aquæ Urbem nostram interfluentis situs, vulgari nunc vocabulo die Schippe dicitur, a scaphis seu naviculis? Quid si AVGUSTI LIBERTUS Præpositorus Stationis, ab Augusto suo sibi demandatum hoc Domus Augustæ officium (diese Hosbedienung) Turicæ exercens, in Tilieto, qua id parte in aquam prospectat, suam sibi sedem fixit? ubi domus in illa declivitate ædificata vulgo nunc das Schloß-Stein vocatur, & Præsidis olim Rom. domicilium fuisse, ut & Tilieto, nomen suum der Hof, ab aula Imp. R. seu Domo Augusta hæsisse creditur.

TVRICEN]. En hic Urbis nostræ nomen antiquum & genuinum a TVRICVM, ut ab AVENTICVM est AVENTICENSIS: quod ad nostra usque tempora, sibilante Z pro T recepto accuratissime conservatum dicitur ZYRICH. In nummis medii ævi bracteatis, nec non in libris, diplomatis, chartis, seculorum posteriorum ZV-RICH, TVRICVM & THVRICVM, DVREGVM, THVREGVM &c. passim appellatur. Per errorem igitur, sine antiquo teste adhuc creditum est, ZYRICH olim habuisse Tiguri nomen, a quo quarta pars seu Pagus Helvetiæ antiquæ Pagus Tigurinus Cæsari Lib. I. de B. G. sit appellatus. Primus hunc errorem erravit, multisque, Turicensibus in primis, persuasit Hentricus Glareanus in Paneg. Urbium Helv. confœd. Basileæ 1519. 4. edito. Quod si maxime verum esset. Pago Tigu-

Tigurino ab oppido quodam Tiguro id nominis inditum olim fuisse, tunc certe fatendum nobis potius esset, situm oppidi Tiguri nos adhuc ignorare. Scaliger Tigurum prope Aventicum quæri voluit. Stumpfius & J. Jac. Huldricus, quum observarent Gentium Gallicarum oppida primaria compluria, nomine speciali, quo prius gaudebant, abjecto, ipsius postea gentis suæ nomine dici cœpisse, ut *Lutetia Parisorum*, *Parisini*, hodie *Paris*: *Durocortorum Remorum*, hodie *Reims*: *Divodorum Mediomatricorum*, hodie *Metz*: *Augusta Suessionum*; *Suessiones*, hodie *Soissons*, ad eundem modum primum *Zyrich*, *Turicum Tigurinorum* dictum sibi persuaserunt, unde deinceps *Pagi Tigurini* appellatio fuerit propagata, cuius metropolis *Tigurum* habita. Ego utrum Aventicum, an Turicum, olim in Pago Tigurino fuerit situm, perinde ignoro: neque moror Rhenani sententiam Tigurinos de Uraniis interpretati. Clariss. HAGENBUCCHII de origine nominis ZYRICH hujusmodi est conjectura: Minor civitas, quæ antiquior esse majore censetur, & arce, ubi nunc Tiliatum est, enituisse ab ipso conditore primo exstructa traditur, forte ab ipso Tilieto rupibus imposito innixoque, seu potius ab ipsis his rupibus, quibus conditores primi arcem imposuerant, quæ in aquam prospectaret, nomen ZYRICH vel TVRICH meruit accipere. ZVR-ICH, q. d. *Rupes ad aquas*: nam ZVR, ZYR vel TVR, *rupem*; ICH vel ACH *aquam*, denotant in linguis vetustissimis. TYRVS Phœnices urbs celeberrima super Petris ædificata nomen habuit a γύρος: unde Aramæorum consuetudine sibilo in T conversum græco exitu Túgos, *Tyrus*, dicta. Multi quo-

Quoque ab eodem τύριον etiam turrim angusta acie notante græcum Τύριον h. e. Πύργον & latinum Turris derivarunt.

TVRICEN] Scapus τὸ R productior est : Tum E situ inverso positum, ut τῷ N adglutinari connectique aptius posset. Id vero tabula rectius ostendet, quam ego verbis eloquar.

STATVRICEN] In lapide Turicensi non sunt voces aliæ, quæ arctius cohæreant, q. una tantum vox esset, nullo intervallo distantes, quam hæ: Id me adducit, ut fere existimem, Quadratium Turicensem, nisi spatii angustiæ vetuissent, STAT. TVRICEN. incisurum suisse. Videlicet hic marmoriorum veterum mos erat, litera una semel incisa sic uti, quasi eadem bis esset positæ: Ita hic T τὸ STA simul finit & TVRICEN simul incipit.

V. 8 XL] Literis numeros significantibus solet lineola frequentissime superimponi. Ipsa quadraginta antiquos Romanos XXXX potius, quam XL signasse observat Cellarius Orthogr. lat. p. 61. Addere potuisset nonaginta veteres Latinos cum XC tum LXXX signavisse ; quod Fabrettus pluribus docuit, p. 561. 562. 563. Quidni igitur ex Lapide Turicensi colligere liceret, Romanos olim XL quoque, non tantum XXXX signasse ; id quod tunc maxime factum videtur, si Spatiorum angustiæ diffusius XXXX minus bene capiebant.

G.] Vere recteque hanc Siglam per Galliarum explicari persuadent Saxa supra adducta, quæ post Quadragesimæ mentionem, pro G, ostentant extense GAL. GALLIARVM.

ET AEL. SECUNDIN] Literarum ligationes Typus ostendet: quas & in aliis Saxis non esse infrequentes Clariss. Hagenbuchii Doctrina declarat.

AEL.] Fuerunt, qui putarent Æ ligatum in Lapidibus indicium ~~vo^{te}ia^c~~ esse: neque nescio in Saxis spuriis Æ deprehendi: Sed & hoc non ignoro, in Inscriptionibus maxime sinceris interdum Æ esse incisum. Nostrum hoc Æ in Saxo Turicensi, si quid video, trium literarum ligaturam refert, scil. A, E & L. Rarissimum est Aelia gentis nomen duabus literis prioribus legi, ne nesciatur, ad Aeliatine, an ad Aemiliatam, aut aliam ab AE inchoatam gentem spectet.

AEL. SECUNDIN] Cognomen hoc SECUNDINA factum per ~~en~~^{en} a SECUNDIA; & a SECUNDINA diminutivum SECUNDILLA: Par modo a Prima, Primina, Primilla: a Septima, Septimina, Septimilla: a Maxima, Maximina, Maximilla. SECUNDINA AElii Unionis uxor AEliæ gentis quoque fuit: Cujus rei caussam facile intellegunt, qui Reinesianam regulam sequuntur, quæ vult, olim uxores maritorum gentes secutas esse: quam autem Fabrettus p. 117. a fine b. rejicit ac refellit. Heic vero Aeliam Secundinam Conjugis sui AElii Unionis Augusti Liberti collibertam,

aut si malis libertam fuisse, quid credere vetat?
Frequentissima olim ejusmodi Conjugia.

V. 9. P. DVLCISSION. F.] Interpretatus sum
Puero DVLCISSIONe Fecerunt. Vix est aliud no-
men appellativum in affectu parentum erga libe-
ros magis solitum, quam *Dulcissimo*, *Dulcissimæ*.
Usum potiorem fecutus, non intercedo, si quis
legere malit: Posuerunt DVLCISSIONe Filio; vel
Parentes Dulcissimo Filio; vel Parentes Dulcissimo Fece-
runt.



DAVID

DAVID DE AUGUSTA

Ordinis FF. Minorum

Monachus

ex tenebris Seculi XIII erutus.

JACOBO BRUCKERO.

§. I.

Quas omnem medii ævi historiam cinxisse rerum veterum, maxime Germanicarum gnaris notissimum est, tenebras caussam esse latentium tot particularum historiæ literariæ atque ecclesiasticæ majorum nostrorum adeo manifestum est, ut probare id exemplis plane sit supervacaneum. Id in primis celeberrimæ, quam nos hodie incolimus, Augustæ Vindelicorum coloniæ accidisse, ineluctabiles, quibus historia Augustana obsepitur difficultates, hiatus & incertitudo rerum medii ævi interdum maxima, præcipue quod ad statum hujus urbis literariorum attinet, comprobant. Cujus potissimum caussam virorum doctorum, quæ tunc communi seculi fato invaluerat, inopiae, temporumque, quod ad disciplinarum studia attinet, infelicitati, adscribendum putamus: quæ ut omnem eo tempore Germaniam occupaverat, ita Augustanam quaque civitatem cimmeria quasi nocte pressisse, animalium silentium triste & obscurum plane, & isti-

us ingenii humani paupertatis index satis superque prodit. Nam ut taceamus, rariores Sibyllinis foliis esse commentarios de rebus Augustanis, quorum auctores istius ævi ætatem attingunt; plerique qui horum temporum facta exponunt, & ab istorum annorum temporibus propius absunt, historiarum libri ab indoctis hominibusque *idiotis* conscripti sunt, adeoque istis propemodum characteribus destituuntur, quibus fides historica nititur, commendarique solent annales civiles & ecclesiastici. Et profecto mirari satis non licet, in amplissima & celeberrima eaque libera sacri Romani imperii urbe, ad quam a plurimis, & in primis medii ævi seculis confluxit, quicquid fere ista tempora nobis fecit memorabilia, & in qua tot reipublicæ Germanicæ acta contigere, non deprehendi accuratorum justique ordinis annalium conditores, nec obtigisse illustri urbi eam felicitatem, qua Frisingam, S. Galli sanum, Weissenburgum, Vrspergam, & ignobiliora loca alia fuisse gavisa, scriptorum, qui ibi vixerunt paginæ testantur. In cuius tamen rei causam latius inquire, ab alio magis, quam amplissimæ urbis civi expectandum est, in voluptatis & quæstus studiæ olim, nescio quam vere, rejiciebat HIERONYMUS WOLFIUS: (b) rem invidia non parentem, aliis explorandam relinquimus.

§. II.

Exemplum, quo dicta comprobare licet, exhibet DAVID de AUGUSTA, familiæ Francisci alum-

(a) Vid. Vitæ Wolfianæ ab ipso scriptæ synopsis a nobis edita & Temp. Helv. T. IV. Sect. III. p. 503. seqq. repetita.

alumnus, qui Augustæ Vindelicorum vixit, & haud ignobile inter Theologos seculi XIII nomen consecutus est. Cujus licet isto tempore eruditio-
nis atque sanctitatis opinio maxima fuerit, & scri-
pta quoque vir diligens & haud obesæ naris reli-
querit, supra seculi sui inficetias assurgentia, adeo
tamen obscura curtaque est ejus in annalibus hi-
storia, ut quod indignamur, Augustanarum re-
rum scriptores, nescio qua incuria vel literarum
contemtu, ejus plane nomen ignorent atque reti-
ceant. Et æternis quidem tenebris sepulta jacuis-
set ejus memoria, nisi famosæ *Conformatites vitæ S.*
Francisci, & cui tot virorum doctorum e Germani-
nis nomen oblivioni ereptum debemus TRITHE-
MIUS, itemque WIMPHELINGIUS & FRAN-
CISCUS GONZAGA nonnulla de hoc scriptore
commemorantes, virum quendam e civibus no-
stris doctissimum, qui *acta SS. Augustinorum bre-
vi* at eleganti calamo descripsit (b) & pulcherri-
mis iconibus, præstantissimi LUCÆ KILIANI
cœlo fabrefactis, (quem illustrem urbis duumvi-
rum MARCUM WELSERUM, vel ex fratribus
Antonio, Matthæo atque Paulo unum fuisse, non
inquis rationibus suspicamur) permovissent, ut
ejus memoriam, conquisitis veterum testimonio-
rum laciniis paucis renovaret, & eodem fere tem-
pore ejusdem Davidis de Augusta opuscula pub-
licæ luci vindicaret, typographei ad insigne pi-
nus, Welsiana potissimum cura & liberalitate
instructi diligentia. Amplioribus itaque memoriis
desti-

(b) Prodiit liber elegans, at paucis notus Aug. Vind.
ad insigne pinus 1601, fol. editionem curante DOMINI-
CO CUSTODE.

destituti brevi scripti uncula ejus memoriam ab oblivione vindicabimus, amplius forte lumen ab illis expectaturi, qui si non majori cura, certe felicitate & eventu, in medii ævi historia versati sunt.

§. III.

Nomen in indicibus historiæ literariæ scriptorum ecclesiasticorum Noster gerit, more ejus ætatis a patria, vocatur enim DAVID DE AUGUSTA, vel Frater quoque David, itemque David de Teutonicus, suppresso nomine proprio. Quod ut propter famæ claritatem, qua patriam illustrarunt factum illo tempore esse, rerum medii ævi non ignaris constat, ita haud ignobile civitatis eruditæ fidus nostrum sua ætate fuisse luculento testimonio confirmat. Constat vero ex hac appellatione, patriam eum Augustam habuisse; in qua tamen nullam ejus prorsus memoriam hodie superesse, supra jam doluimus. Nec quibus parentibus, quave familia ortus apud Augustanos sit, ulla nobis enasci suspicio potuit. Quod non valde mirabuntur, qui cogitant, ascetarum consuetudinem, qua regulæ sacræ se tradentes, novum ordinis nomen adsciscere solent, hanc nobis notitiam omnem eripuisse: Et fortasse vilioris, quod solebat fieri, fortis homo una ordinis sacri gloria contentus, studio gentilitium nomen retinuit. Nobis pro eo noscendo sufficit, eum, quod dudum AUBERTUS MIRÆUS (c) fecit, Augustæ nostræ vindicavisse.

§. IV.

(c) In Auctario ad Trithemium de S. E. c. 402. p. 73. ed. Fabric.

§. IV.

Eadem, uti conjicimus, rationes nativitatis tempus nobis reticent. Et claruisse quidem non longe post beatum Franciscum, ait TRITHEMIUS, (d) quem anno MCCXXVI fatis concessisse constat. Iisdem verbis Davidem Francisci Affisii σύγχρονον facit, vetus Ordinis Minorum scriptor FRANCISCUS GONZAGA. (e) Facileque id confirmari potest ex ætate discipuli Nostri Bertholdi, qui & ipse familie Franciscanæ alumnus, postquam concionibus factis inclaruisset, in patria Ratisbonæ anno MCLXXII obiit, cuius magistrum uno tantum anno prius naturæ debitum soluisse infra probabimus, confodiemusque errorem scriptoris *Sanctorum Augustinorum*, nostrum circa annum MCXXVIII. vita functum esse asecentis. Ex quibus certum quidem est, Francisco adhuc superflite eum vixisse, at nativitatis annum tamen ista nondum eruunt, quem tamen in seculi decimi tertii initia incidisse ex vitæ ejus circumstantiis suspicamur.

§. V.

Nomen dedisse Davidem sacræ, quam Francis-
cus Affisias haud ita pridem instituere cœperat,
familie, quæ Minorum fratum dici solet, non
est, quod dubitemus. Nam hoc eum nomine
post discipulum ejus Bertholdum, insigniunt om-
nes, qui eum commemorant. Et TRITHEMI-
US

(d) De Scriptoribus eccles. c. 455. p. III.

(e) De origine Seraphicæ religionis e. de viris illistr.

US (f) quidem incertum id facit; scribit enim: *David, ut ferunt, ordinis Minorum;* ast alio tamen loco (g) sine hæsitatione S. Francisci religionem eum professum suisse asserit. Vixisse autem Davidem inter Franciscani ordinis fratres in patria Augusta ex illis, quæ de ejus morte & sepultura infra dicemus, constabit. Quamvis autem hæc certa sint & indubitata, eadem tamen certitudine dici non potest, quo tempore sacræ se Francisci militiae addixerit, & quibus annis inter Minores fratres Augustæ vivere cœperit? Et veterum quidem annalium traditio inter Augustanos est, Sibothum ecclesiæ Augustanæ episopum anno demum MCCXLIII locum Francisci assecoris apud Augustanos fecisse, iisque templum, quod ad Stræfin geriam portam situm est, (h) tradidisse, quam opinionem, velut certam nostri temporis scriptores, qui annales Augustanos considerunt, (i) sequuntur; ex quo sequeretur, ante hunc annum locum Davidi assignari non posse. Ast subletiam esse annalium Augustanorum fidem & vel eos in annorum numero errare, vel facta prima & secunda inter se confundere, ex indubitate historiæ Franciscanæ scriptoribus demonstrari potest, quo rum,

(f) l. c.

(g) Annal. Hirsaug. T. I. ad ann. 1251. p. 588.

(h) Id hodie quoque Minorum templum audit, at evangelicæ religionis exercitio destinatum, monasterium autem hodie Xenodochium S. Jacobi est, utriusque religionis civibus sacrum.

(i) P. CORBIN. KHAMM, hierarch. August. P. I. p. 239, VON STETTEN Hist. Aug. c. V. §. 26. p. 70.

rum fide (k) scimus, anno jam MCCXIX Franciscum Spira misisse F. Cæsarium, ut inter Suevos & vicinos sui ordinis monasteria erigeret, & inter ea Augustanum primum fuisse. Constat etiam scriptoris *Conformatum S. Francisci testimonio* (l) F. Tertericum Augustanum primum a Francisco, ejusque commissario quem vocant, F. Cæsario Spirensi Alemanniæ superioris ministrum provincialem fuisse constitutum, eumque diem extremum clausisse Augustæ in ecclesia FF. Minorum conventionalium, quam ipse virginis gloriose dicatam reliquit, sepultum anno MCCXXXI. Qui & adit: *Uberrimos eum in vinea Seraphica proferentem fructus, eam multiplicatis vinitoribus mirifice excoluisse.* Ex quo loco non tantum manifestum est, ante annum MCCXLIII fratres minores jam apud Augustanos floruisse, sed & evinci potest, post annum MCCXIX. quo Cæsarium ad condenda ordinis sui cœnobia dimisit Franciscus, & ante annum MCCXXXI, quo obiit Tertericus, qui primus monasterio hujus familiæ Augustano præfuit, Nostrum, ab eodem plures hujus religionis alumnos recipiente, huic numero fuisse adscriptum.

§. VI.

Eruditionis & pietatis laude in hoc Fratrum minorum apud Augustanos conventu Davidem vixisse, munusque ideo lectoris, quem vocant, id

er

(k) MARIUS OLYSIP. de rebus Francisc. relig. GONZAGA de orig. Seraph. rel. & ipse quidem KHAMMIUS P. II. p. 241. ecclesiam FF. minorum conventionalium primo 1231 jam fuisse asserit.

(l) l.c.

Tom. II.

S

est professoris S. Theologiæ obtinuisse, ex inscrip-
tione formulæ novitiorum ab eo scriptæ præfixa
constat, in qua F. David de Augusta ordinis fratrum
minorum professor sacrae Theologiæ, salutatur: Quod
ejus munus colligi etiam ex dedicatione istius for-
mulæ potest, in qua Bertholdum (m) & conven-
tuales reliquos discipulos suos esse innuit. Scribit
etiam ad eundem: *Desiderasti a me frater clarissime,*
ut aliquid scriberem tibi ad ædificationem, ex quo ab-
sens sum a te, sicut aliquando præsens tibi ore dicere so-
lebam, quando ad tempus novitiatus tui magister eram
tibi deputatus. Cum vero, quem habuit discipu-
lum, Bertholdus concionandi potissimum facul-
tate & facundia orationum ad populum habita-
rum inclauerit, recte inde concluditur, ejus quo-
que præceptorem ab hac dicendi virtute, prout
temporum conditio ferebat, imparatum haud su-
isse. Quod de eo diserte tradit TRITHEMIUS:
(n) quia sermonum popularium declamator fuerit egre-
gius, de tempore simul & de sanctis congruos eum ser-
mones composuisse; & alio loco, (o) in declamandis
sermonibus ad populum excellentis ingenii fuisse, asserit.

§. VII.

(m) Natus est Bertholdus Ratisbonæ, inque conven-
tu Minorum Augustano educatus & a Davide sacris litte-
ris institutus in patriam rediit, ibique ordinis sui mona-
sterium condidit: tantæ virtutis & facundiæ orator, ut
quod HENRICI STERONIS testimonio in annal. ad an.
1253. apud FABRIC. bibl. lat. med. T. I. p. 657. & OUDI-
NUM I. citando constat, 60000 auditores numeraverit,
defunctus in patria 1272. ob sanctitatis odorem & mira-
culorum famam, beatorum insertus albo. Conf. OUDIN.
de S. E. T. III. p. 443.

(n) Annal. Hirsaug. I. c.

(o) De S. E. I. c.

§. VII.

Floruisse Davidem ingenio & doctrina pro conditione ævi sui, & in primis in morali & ascetico argumento eruditionis sacræ virtutem ostendisse facile credi potest TRITHEMIO (p), cui *Vir audit in divinis scripturis exercitatus*, & MARIANO, (q) qui in omni morum doctrina probatum vocat. Nam qui scripta viri pii & diserti curatius evolvunt, non naturalem tantum ingenii pulcritudinem detegunt, sed & iudicium practicum humani animi recessus probe explorans, & experientia atque attentione pulchre edoctum, quæ præclarissimæ moralis doctrinæ virtutes sint, observant. Sed & dictionis perspicuitate, tractationis ordine, & styli Latini puritate supra seculi sui conditionem longe assurgit, quamvis ex ejus fardibus aliquid traxerit. Qua vero sanctitatis laude floruerit, vel ex eo iudicium fieri potest, quod beatorum cho-ro eum inseruerit curiæ Romanæ sententia, quæ sanctitatis & miraculorum opinionem ad hanc beatitatis declarationem postulare solet. Et utrumque etiam scriptores ecclesiasticæ historiæ de eo jactant. Et TRITHEMIUS (r) quidem satis caute, ut solet: *Doctus devotus & sanctus, qui multis & in vita & post mortem fertur corrascasse miraculis; alioque loco, (s) vita & conversatione insignem vocat; quibus addimus Conformatum S. Francisci*

S 2

scripto-

(p) l. c.

(q) Chron. Ord. Min. T. II. c. 17. apud OUDINUM de S. E. T. III. p. 447.

(r) l. c. annal.

(s) de S. E. l. c.

scriptorem, cui vir audit in omni disciplina decen-
tissimus. His recentiores succinunt, & imprimit
hujus ordinis encomiaſtae eum magnifice extol-
lunt, quos hoc loco exscribere, effet lectoris
patientia abuti. Ut ex ungue leonem cognoscas
lege ad scriptorum ejus editionem, quae nonne-
